DE

PLVRALITATE SVFFRAGIORVM

IN

LECTIONE IMPERATORIS

PRO MVNERE PROFESSORIO

LEMENTISSIME SIBI DEMANDATO

AMPLISSIMI SENATVS

ET ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS PERMISSV

DISPVTABIT



PRÆSES

ODOFREDVS DANIEL
HOFFMANN

IVRIS VTR. LIC. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

RESPONDENTE

)HANNE FERDINANDO DREHER.

STVTTG. I. V. C.

VBINGÆ H. L. Q. C. DIE XXIII. IAN. MDCCXLII.

TYPIS ROEBELIANIS.

D. T. O. M. S.

§. I.

LIBERTAS GERMANIÆ IN ELIGENDO REGE.

Quod olim de QVIRITIBVS suis dixit M. T. CICERO, *aliæ nationes servitutem pati possunt, Populi autem Romani res propria est* LIBERTAS, a) dulce istud nomen, res illa incomparabilis: id maiori adhuc jure ad GERMANOS transferri posse, nemo, facile dubitabit. Tantum illorum, omni ævo, fuit LIBERTATIS studium, ut eandem jam LVCANVS *Germanum Scythicumque Bonum* adpellare nullus dubitaverit. b) Hanc enim non solum in tot adhuc peculiares *civitates*, quot *populos*, divisi, sed & deinceps sub *Francicis*, secundæ potissimum *Carolingorum* stirpis, *Regibus* in unum corpus *uniti* perpetua virtute propugnarunt. Qui insitus Germanorum animis *libertatis* amor id etiam inter alia effecit, ut nihil sibi *imperari* paterentur, quod non ipsi *suo* prius probassent *consensu.* c) Hinc nullo non tempore *comitia* in Germania celebrata fuisse legimus, in quibus *Reges* & *Imperatores*, cum *Regni* & *Imperii* Ordinibus, pro majori vel minori Regum & Imperatorum autoritate, plus minusve potentibus, de negotiis, ad summam reipublicæ pertinentibus, consultarunt. Inde porro hodienum insigni illa LIBERTATE gaudent GERMANI, ut eis REGES haud *nascantur*, d) sed ipsi, quos dignissimos judicaverint, *eligere*, simulque, quod magis, una eademque *electione*, inde a notissimo isto *pacto* OTTONIANO in *Reges* atque *Imperatores Romanorum* evehere queant. Quo nomine admodum semper nobis placuerunt, quæ circa electionem FRIDERICI I. de *Germanis* cecinit GVNTHERVS, *Regibus* inquiens, e)

Regibus est aliis potiundi jure paterno
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit heres.
Nos, quibus est melior libertas, jure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclita Principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.
Nos penes est, quemcunque sibi Germania Regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rhenus.

Id

Id quod summum *libertatis* fastigium, optimumque ejus *argumentum* est. QVAMVIS enim *neque* cum illis sentiamus, qui ex duobus istis ad imperium perveniendi modis primariis, *electione* nimirum atque *successione*, illam saltem, in hujus veluti *opprobrium*, unice commendant, immodicisque laudibus extollunt, *neque* illorum nobis placeat civilis philosophia, qui *modum* Principem constituendi, a *forma* reipublicæ vel *absoluta* vel *adstricta*, vel *hanc* ab *illo* per causalem quendam nexum dependere statuunt, qui discrimen *summi* aut *summo minoris* imperii e modo istud, vel per *electionem*, vel per *successionem*, deferendi & adquirendi æstimare solent, qui ibi *electionem* semper obtinere, ubi legibus *adstrictum*, & *successionem*, ubi *absolutum* regimen vigeat, qui denique *successione* non nisi *absolutum* & *electione* econtrario non nisi *limitatum* imperium deferri sibi aliisque persuadere conantur; sed POTIVS probe noverimus, *primo* gaudere tam *electionem* quam *successionem* commodis suis, laborare vero etiam *utramque* f) incommodis non minoribus, præterea mores, instituta gentium, rerumque publicarum formas, status, rationesque adeo sæpius *variare*, ut *certi* quid & *constantis* definire heic nemo queat, *porro* fieri posse, ut hodie statui cuidam *electio* magis conducat, *successione* hæreditaria alio tempore electioni longe præferenda, *denique*, quod caput rei est, facile contingere posse & solere, ut neutra illarum salutem publicam regni alicujus, (loquimur enim secundum placita juris publici *universalis*) satis promovere queat, præsentique reipublicæ statui apprime conveniat, sed demum legibus fundamentalibus eidem penitus adcommodanda, atque proin addendo detrahendoque successio *electione*, vel electio *successione* temperanda sit, *secundo* omnes facile agnituros fore, *modum* rei ipsius, *naturam* haud ingredi, adeoque distinguendos esse modos, imperium *adquirendi*, & istud jamjam adquisitum *exercendi*, *tertio* denique electionem qua *talem*, æque ac successionem, non *potestatem*, sed *personam* g) saltem producere atque determinare: NIHILOMINVS tamen quivis intelligere poterit, *primo* permultum reipublicæ interesse, quo modo ad illum, qui unus ex omnibus, reliquis postea vel præcipua vel *summa* cum potestate imperabit, civile regimen perveniat, *deinde*, qua ratione regiminis deferendi propagandique *modus* cum ipso reipublicæ *habitu* conveniat, eive legibus usuque adcommodetur, *postea* longe ampliorem statibus Regni *electitii* suppetere occasionem, summi imperii potestatem, sua auctoritate temperandi, atque adeo jucundissimam omnibus libertatem conservandi, quam quidem *successivi* regni ordinibus nasci potest, *denique* si non universalem *veritatem*, specialem tamen hancce *præsumtionem*, in dubio adplicandam, e *modo* imperium deferendi oriri: quod nempe regna *electitio* jure delata fidem habeant mereanturque imperii non nisi adducti, *limitibusque* constricti, cum econtrario regna, bello & victoriæ jure quæsita atque proin mediante

diante

diante *succeſſione* retenta, opinionem imperii *abſoluti* tamdiu præ ſe ferant, donec contrarium probetur. Quæ omnia, ſolo *Germaniæ* h) exemplo, ſatis comprobari poſſent, ſi modo ulterius hic *digredi* liceret, nec vero omiſſis etiam, ſingularibus quibusdam de ORIGINE tum *electionis,* tum *Electorum* in Germania *compendiis,* ipſa potius hæc de PLURALITATE SUFFRAGIORUM IN ELECTIONE IMPERATORIS tractatio, neceſſariis illis, tum ELECTIONIS, tum SUFFRAGIORUM in *electione* definitionibus inchoanda foret.

---

a) Vide *Philippicam* Ejus *6.* ſive *orat.* 48. in *M. Antonium ad Quirites*, in operum ejus *edit. Elzevir. de anno 1661. pag. 603. num. 7.* in fine. Adde ibidem *Phil. 10. pag. 613.* ubi egregie de *libertate* differit ſummus *Orator.*

b) De *Bello civili Cæſaris & Pompeji*, ſive *Pharſal. Libro 7. v. 35.* Adſtipulatur ei L. A. SENECA, qui *cap. 15. Libri I. de Ira* GERMANOS, pariter atque *Scythas,* gentes ipſa *feritate* LIBERAS, *quæ ſervire nequeant*, adpellavit. Conferri vero hic etiam, qui inter *Romanos* Scriptores in rebus *Germanicis* facile princeps eſt, C. C. TACITUS, tum de *Moribus Germanorum* paſſim & in ſpecie *cap. 37.* tum in *Annalibus ſuis cap. 10. 11. & 16.*

c) Id quod TACITUS *de Moribus Germanorum* vel ſolo *cap.* ſuo *11.* abunde probavit. Conferri quoque merentur Ill. noſtrique etiam *Patroni* ſummi, Domini MASCOVII Geſchichten derer Deutſchen, *Libro 2. §. 34. pag. 47.*

d) De quo POLONORUM, his etiam jure meritoque uſitato, *proverbio* videri omnino meretur *Celſiſſ.* quondam *Principis* & *Epiſcopi Varmienſis*, magnique illius Regni *Cancellarii* ZALUSKY *Epiſtol. Fam. Tom. I. pag. 554.*

e) In *Ligurino* ſuo, ſive *vero*, ſive *ſuppoſito*, hoc eſt *de rebus geſtis* FRIDERICI *I. Aug. Libro I. vers. 244 ſq.* apud REUBERUM ex editione B. JOANNIS *fol. 460.* ubi noviſſima optimaque ejus legitur *editio.* Cæterum de hoc ipſo GUNTHERO, præter ibidem *fol. 408. ſq.* collecta, omnino legi merentur argumenta, quibus *impoſtorem* illum, ejusque *Ligurinum* demum *ſæculi XV.* partum fuiſſe in *Parergis Gotting. Tomo I. libro 3. num. 8. pag. 149.* evicit Ill. Dn. H. C. SENCKENBERG *Fautor* noſter colendiſſimus.

f) Vid. *B. & Deſideratiſſ. Prof.* ROESLERI *Diſſ. anno 1721.* habita, *utrum electio præſtet ſucceſſione*, *an vice verſa*, quæ tamen hanc ipſam quæſtionem, prævia licet multa cautione, pro *ſucceſſione ſect. 2.* decidit.

g) Prout jam RHETIUS in *Diſſ.* ſua *de abſoluta Principum poteſtate*, quæ inter *Diſſ. Ejus juris publ. XI.* junctas *7.* eſt *cap. 2. num. 138.* obſervavit. Addi merentur TITIUS in *ſpec. juris publ. libro 7. cap. 7. §. 97.* & *Cel.* CANZIUS, *Patronus* noſter venerandus, in *Diſcipl.* ſuis *moral. §. 1073. ſq. pag. 361. ſq.*

h) Exemplo Ill. LUDEWIGII, qui hac *præſumtione* tam in genere, vid. *præf.* Ejus ad *ſingul. juris publ. §. 14. pag. 70 ſq.* quam in ſpecie, v. gr. occaſione juris adlegandi Statuum Imp. vide *opuſc. Ejus miſcellis Tomo I. Libro I. op. 6. §. 4. & 5. pag. 428. ſq.* uſus fuit. Cave tamen, ne cum *Eodem* eandem præſumtionem nimis urgeas,

geas, atque etiam adplicare velis, ubi vel non *quadrat*, vel *veritatis* in contrarium *probatio* jam adest.

§. II.

DEFINITIO ET DIVISIONES SUFFRAGIORUM ELECTIVORUM.

Est autem ELECTIO, uti in genere, ita & in specie IMPERATORIS nostri Romano-Germanici, actus *solemnis*, quo per *suffragia* a) eorum, penes quos est jus eligendi, in casu substrato *Electorum* Germaniæ, *subjectum* quoddam *habile* b) ad munus aliquod, videlicet summum istud dignitatis æque ac potestatis, tam *Regalis*, quam *Imperialis* fastigium, *legitime*, hoc est, secundum *legem usumque* Imperii nostri, *designatur*. SUFFRAGIA autem, prout jam vel ex definitione electionis satis adparet, ELECTIVA nihil aliud sunt, quam *declarationes*, ab Electoribus, Coelectoribus suis, speciatim roganti Moguntino, de isto subjecto factæ, quod jamjam ad culmen hocce *imperiale* evehere velint. *Definitionibus* hisce, quas pluribus illustrare superfluum foret, proxime succedant *divisiones*. Sicut enim suffragia *generatim*, pro declarationibus statuum constatibus suis circa hoc vel istud negotium publicum factis, accepta, diversimode dividuntur; ita hæ quoque *divisiones* suffragiis electivis *in specie* erunt adplicandæ. Ita primo omnium ratione *personæ* suffragantis, *suffragia* alia sunt *virilia*, alia *curiata*. *Virilia* dicuntur, quæ persona simplex, individua atque physica, suo tantummodo nomine fert. *Curiata* autem non nisi personæ compositæ, mysticæ & morali, integro velut corpori, vel collegio, integræ societati, sive *curiæ* competunt, neque adeo ab unico homine, suo saltem nomine, ferri possunt. Sic in *comitiis* Germaniæ *universalibus* Electores, Principes atque Civitates, in tribus illis distinctis *collegiis* vota edunt *virilia*. *Conclusa* autem, quæ ex *virilibus* istis singulorum Statuum *suffragiis* in quovis *collegio* formantur, in ordine ad formandum exinde *placitum Imperii*, vota sunt censenturque *curiata*. c) Porro in *collegio Principum* vota Episcoporum, Ducum, Principumque *virilia*, Prælatorum autem Comitumque econtrario, *curiata* sunt, licet & *hæc*, habito ad Prælatorum Comitumque collegia & *scamna*, virilia dici queant. Optima vero, utrum suffragia aliqua sint *virilia*, an *curiata*, cognoscendi ratio est, si *suffragantium*, atque *suffragiorum* numerum adtendas. Quodsi hi *numeri* æquales, totidemque sint *suffragia*, quot *suffragantes*, quot membra suffragantia, tunc ista necessario erunt *virilia*. Sin vero numerus *personarum*, numero *suffragiorum*, velut in collegio Principum, *major* sit, pluresque sint suffragantes, quam suffragia postmodum computentur, tunc *illorum* quædam saltem *curiata* sint necesse est, & *ea* quidem, quæ quis non *suo*, sed *alieno* etiam, velut reliquorum, *nomine* simul fert. Hæc de *explicatione* primæ hujus divisionis. *Adplicatio* ejus ad suffragia *electiva*,

quæ

quæ in comitiis electoralibus, auf denen Wahltägen ferri solent, difficilis esse nequit perpendenti, quod ibidem *primo* singulis Electoribus *sua* competant suffragia, quod *deinde* reg. omnis Elector *suo* tantum nomine & jure suffragetur, & si *alterius* quoque id simul fiat loco, d) *duo* etiam ferat suffragia, quod *denique* tot ibi, in collegio Electorali, sint semperque fuerint *suffragia* distincta, quot suffragantes, quot *Electores*. Cum igitur numerus *votorum electivorum* idem sit cum numero *Electorum*, ita ut cum hodie *novem* vel *octo* sint *Electores*, *octo* quoque vel pro re nata *novem* etiam numerentur *suffragia*, facile perspicitur suffragia *electiva* non *curiata* esse, sed *virilia*. Id quod de suffragiis *electoralibus* ubique verum, atque tam in comitiis *electoralibus*, quam *collegialibus*, imo etiam *universalibus*, auf Wahl-*collegial*-und Reichs-Tägen, observandum, nisi quod hic suffragia Electorum *virilia* quoque, postquam jam in commune collegii *conclusum* abiere, habita ratione ad reliquorum collegiorum *conclusa*, in *votum* degenerent *curiatum*, idque unicum, quod vero Electorum *omnium*, tam dissentientium, quam consentientium, nomine exhibetur. Quoad *usum* distinctionis hujus, quem in *computatione* suffragiorum illa præbeat, id observandum, quod etiam vota *curiata*, habita ratione ad reliqua, quibuscum connumeranda, ceu *virilia* haberi debeant. Sic *tria* collegiorum in comitiis Germaniæ universalibus *conclusa*, quæ *totidem* vota *curiata* efficere diximus, solo hoc numero *ternario* computantur, ita ut *duo*, æque ac si *virilia* essent, *majora* efficiant. e) Suffragia *Comitum* atque *Prælatorum*, in collegio *Principum*, curiata, quoad *computationem* itidem considerantur ut reliqua *virilia*, quorum numerum non nisi *sex* suffragiis augent. Dispesci porro debent suffragia non modo in genere, sed & in specie electoralia in *singularia* atque *collegialia*. Alia nempe negotia, in quibus consensu suffragiisque *Electorum*, ut *adplicate* statim loquamur, opus est, ita sunt comparata, ut perinde sit, qua ratione singulorum Electorum *calculus*, sive per *legatum* ad singulos vel a singulis missum, vel per *literas* ad singulos illorum datas atque a singulis rursus acceptas, etiam extra *comitia*, ab Imperatore *impetretur*, ab Electoribus vero *adponatur*. Alia vero negotia Imperii publica hujus sunt indolis, ut leges non solum Electorum *consensum* in genere efflagitent, sed & eundem adhuc *comitialem* sive *collegialem*, hoc est ab Electoribus non *singulis* sed *universis*, qua *collegium* constituentibus, impetrandum & interponendum esse perhibeant. Quo casu verbis der *collegial*-Versammlung, Zusammenkunfft, auch *collegial*-Rath und Stimmen utuntur. Addducamus *utriusque* hujus, *singularis* & *collegialis*, Electorum *consensus*, unicum saltem sed luculentum tamen, quo melius *differentia* hæc adpareat, *exemplum*. In instituendis, prorogandis & transferendis universalibus Regni comitiis Imperator *speciali* saltim Electorum omnium, sed qua *singulorum* consensu opus habet. Teste *Recessu Imperii* de

de anno M. DC. XLI. ubi in principio: Daß zu Ausschreibung eines allgemeinen Reichstages, deß H. Reichs Churfürsten, und ein jeder derselben, absonderlich, vorher dem alten Herkommen nach, um seinen *special-consens*, schrifftlich und durch Abschickung ersuchet werden solle. En egregiam, *consensus* Electorum *singularis* sive specialis descriptionem. Collige inde, quæ *suffragia* ipsorum sint *singularia*. *Collegiali* vero Electorum *consensu* Imperator inter alia opus habet, cum jura emporii, stapulæ, geranii, paucis omnia, quæ *commerciorum* libertati adversa videntur, præsertim vero *vectigalia* nova concedit, antiqua auget, prorogat, transfert. Audias hoc nomine ipsius *Augustissimi* olim, nunc *gl. m.* CAROLI VI. quibus istud promisit, verba. Wir sollen und wollen auch ... keinen Zoll von neuem geben, ... es seye dann nicht allein mit aller und jeder Churfürsten Wissen und Willen, Zulassen und *collegial*-Rath, durch einhelligen Schluß also in diesem Stuck verfahren, daß keines Churfürstens Widerrede oder *dissens* dargegen, und dergestalt alle und jede in Dero *collegial*-Stimmen einmühtig seyn ꝛc. f) Habes hic non solum conventum & deliberationem *collegialem*, *collegial*-Rath, sed & diserte suffragia *collegialia*, *collegial*-Stimmen, g) ut pluribus adeo hic opus non sit. Quo minus nunc etiam quoad *adplicationem* hujus divisionis, dubitari poterit, suffragia *electiva* esse *collegialia*. Postquam non solum *Aurea Bulla* tot de convocatione, comparitione, conductu, comitiis, suffragiisque comitialibus, in uno *eodemque* h) *loco* ferendis, disposuit, sed & luculenta *juris canonici* i) analogia, imo certissima omnium, omnis ævi, electionum adsit *observantia*, secundam quam omnis electio non nisi in *comitiis*, primum *universalibus*, postea vero *electoralibus* instituta fuit, imo ipsi *Principes* atque *Nobiles*, sola sua omissa frequentatione *comitiorum*, in quibus Imperatores quidam, in *turbulento* isto Germaniæ statu, fuere electi, suo *coelectionis* jure privati fuerunt. Neque vero jam omnem *divisionum* peragravimus sylvam. Dantur adhuc plures, k) quarum *unicam* saltem adducemus, eam nimirum, quæ planam nobis, deinceps ad ipsam *suffragiorum pluralitatem* sternere poterit viam. Possunt quippe suffragia electiva, æque ac suffragia omnia dividi in *unanimia* atque *diversa*, seu, quod idem est, *uniformia* & *difformia*. Quando omnium Germaniæ *Electorum* de promovenda, per hanc novi capitis, electionem, Imperii salute, judicia eadem sunt, atque præterea etiam per idem *medium* in eundem collimant *finem*, hoc est, si omnes, quotquot illorum sunt, *eundem* eligunt *candidatum*, tunc *suffragia* eorum dicimus *uniformia* sive *unanimia*. Quod si vero Electores neque eundem *finem* præfixum habeant, neque per eadem *media* ad unum tendant scopum, sed in diversas abeant sententias, aliis *primum*, aliis *secundum*, aliis *alium* eligentibus, *suffragia* illorum *difformia* sive *diversa* adpellari merentur. *Electio* uniformibus Electorum suffragiis facta, *unanimis* atque *concors*, quæ

vero

vero difformibus peracta, illa *diversa* atque *discors* dicitur. Quodsi suffragia Electorum in ipso *electionis* actu, consueto atque solemni modo lata contingat esse *uniformia*, atque adeo electio *unanimis* sit, nulla prorsus difficultate laborabit tam *computus* suffragiorum, quam ipsa *electio*. Tunc nempe suffragia omnia, ceu ejusdem *qualitatis*, nec vero *interne* diversa, connumerantur atque electio rite peracta censetur. Neque alia *computatione* opus, nihilque amplius supererit, quam ut quem *uno ore* elegerint Archi-Principes, eundem quoque more solemni renuncient atque proclament. Cæterum quid pronunciandum sit, ubi *suffragia* Electorum diversa sunt atque *difformia*, id ipsum est, quod jam ea, qua fieri poterit, brevitate atque perspicuitate, ostendemus.

---

a) Addunt alii, cum *Ill.* BOEHMERO in *Instit.* suis *Juris Canon. Libro 1. tit. 6. §. 1. pag. 54.* per *suffragia electorum* MAJORA. Quod vero eo magis *omittendum* esse duximus, quo certius *suffragiorum pluralitas* inter *accidentalia* electionis referenda, exemplo *Polonicæ*, quæ a potiori & de regula, non nisi *unanimis* esse poterit. Vid. *Fr.* MARINI Staat des Königreichs Pohlen, *pag. 60.* Obtinet quippe in ipsa quoque *electione* libera ista, omnium Procerum Nobiliumque, LIBERUM VETO adpellata, *intercedendi* facultas, in solis istis, huic *Regno* propriis, *confœderationibus*, suspensa. Vid. *Cl.* LENGNICHII *Diss* de istis. *§. 24.*

b) *Justum* nempe, *bonum* & *utile*, præcipiente *Aurea Bulla tit. 2. §. 1.* Christianum, domesticum, legitime natum, illustre, laicum, cujuscunque deinceps vel *sexus* vel *ætatis*. Conf. B. D. D. SCHWEDERI *Diss. de Elect. Imp. continens habilitatem personæ.*

c) Vid. VITRIARIUS in *Instit.* suis *Juris publ. Libro 4. tit. 1. §. 69. sq.* ibidemque PFEFFINGERUS *Tomo 4. pag. 378. sq.* Adde KULPISII *Diss. de placitis Ordinum Imp. cap. 3. §. 14. sq.*

d) An vero etiam, jam olim, *alieno nomine*, ceu mandatarii & procuratores, atque adeo *aliquoties* suffragari potuerint? quæstio est haud inutilis. Negavit *illam* quidem AUTOR derer unmaßgeblichen Gedancken (qui se PATRIOTAM vocat,) *über die gesuchte neue vota §. 20. pag. 36.* Ast contrarium aliqua ipsorum, testari videntur, *Electorum* exempla. Sic *Coloniensis* in electione RICHARDI anno 1257. suum atque *Moguntini* votum, ex hujus commissione exposuit, teste URBANO IV. P. R. in *Epistola* sua in *prodr. Cod. Juris Gent. Dipl.* LEIBNIZIANI *§. 14. pag. 15.* Eadem ratione, eodem *interregni* tempore, cum ALPHONSUS eligeretur, & *Saxoniæ* Dux, & Marchio *Brandenb.* suam electionem, *Trevirensi* per literas ita commiserunt, ut quemcunque (præter *Anglicanum*) *suo* & *ipsorum nomine*, eligeret, ratum & firmum sint habituri. Vide *Gesta AEp Trevir.* apud ECCARDUM in *Corp. Hist. medii ævi Tomo 2. pag. 2237.* Ita porro in *electione* ADOLPHI, *Nassoviæ* Comitis, *Boemiæ* Regis WENCESLAI nomine, *legati*, etsi præsentes, ipsi tamen *electioni* haud interfuerunt, sed potius suffragium *Bohemicum*, reliquorum Electorum consensu, anno

1292. Electori *Moguntino* GIBHARDO demandarunt, prout id ipse in *tabulis* suis apud LUNIGIUM in dem Deutschen Reichs-*Archiv P. gen. cont. 2. pag. 186.* testatur. Eodem jure, anno 1308. cum HENRICUS VII. eligeretur, RUDOLFUS, *Saxoniæ Dux*, votum suum OTTONI *Brandenb.* commisit, qui ipse vices suas rursus *Agnato* suo WALDEMARO demandavit, qui *pro se, & magnifico viro* OTTONE, *Marchione Brand. patruo suo, cujus vices in hac parte gessit, nec non nomine illustrium virorum* JOANNIS & ERICI, *Ducum Saxoniæ* (Lauenb.) *qui etiam vices suas, in quantum de jure, vel consuetudine habuerant, hac in parte eidem commiserant*, atque adeo *ter quaterve* in favorem dicti HENRICI *Lucelb.* suffragatus est. Quemadmodum id ipsum, totidem verbis, Decretum sive *Diploma electionis*, quo *Papam* de electione hac certiorem fecerunt *Electores*, testatur, apud BALUZIUM in *collect. act. vet. §. 35. pag. 268.* atque LEIBNIZIUM *all. l. Tomo 2. Mantiss. §. 49. pag. 253.* Addi meretur *declaratio Legatorum Brandenb. circa pacta de eligendo R. R. Popardiæ* edita, ibidem *Tomo I. §. 30.* LUDOVICUM denique IV. *Bavarum*, a *Moguntino*, vice *sua & reliquorum*, hoc est, ex speciali mandato, *Trevirensis, Bohemi, Brandenb.* & *Saxonis* electum fuisse, *epistola* quinque horum Electorum ad futurum Papam *anno 1314.* exarata, ibidem e NIC. BURGUNDI *Hist. Lud. Bav. libro I.* exhibita, *Tomo 1. §. 36. pag. 66.* Sic etiam HENRICI *Coloniensis* mandatum, quod RUDOLPHO *Palatino* eodem hoc anno dederat, extat im Reichs-*Archiv. p. spec. cont. 1. pag. 81.*

e) Vide FURSTENERIUM de *jure suprematus cap. 40. 41. Ill. Dn.* ICKSTATT *in Diss. de majori suffr. num. cap. 2. §. 31.* nostramque *Diss. de independentia juris circa sacra Evang. intuitu Imp. & Imp.* hic loci anno 1740. conflictum moderante, *Illustri* HELFFERICHIO, *Patrono* atque *Præceptore* nostro, non sine venerabundo adfectu nominando, defensa, *§. 16. not. p. 45.*

f) *Artic. Capitul. Cæs.* LEOPOLD. *art. 21.* JOSEPH. *20. Project. perp.* & CAROL. *art. 8. pr.*

g) Dantur vero alia adhuc hujus *collegialis* Electorum *consensus* exempla, in *negotiis* v. c. *belli, alienationum, fœderumque* præsertim, si, quod *moram* non patiuntur, non *omnium Statuum*, vide *Instr. Pac. Osnabr. art. 8. §. 2.* & *Capit. noviss. art. 7. pr.* Sed *Electorum* saltem prævio consensu ineantur. Arg. *Capit. c. l.* ubi *collegial-* und absonderliche Erklärungen, sibi invicem opponuntur. Quemadmodum *collegiali* hoc consensu tum in genere opus, cum is *surrogatus* est consensui Statuum omnium *comitiali*, cujus proin etiam sapit naturam. vid *Instr. Pacis Osnabr. art. 8. §. 5.* & *Cap.* LEOPOLD. *art. 10.* Adde LINCKERI *Diss. de Consensu Electorali*, nec non ipsam, *Unionem Electorum, Vormaciæ* anno 1521. renovatam *§. 8. 9. 10.* apud *Chr.* WILDVOGELIUM *in Diss. de Unione hac Electorali cap. 2. §. 45. 57.*

h) *Aurea Bulla Tit. 2. §. 6.* ubi in princ. *Postquam autem in* EODEM LOCO. conf. *cap. 14. X. de Elect.* ubi in UNUM LOCUM, *in quo fuerit electio celebranda, Electores omnes convenire* jubet Papa COELESTINUS III.

i) Est

i) Est enim, etiam de jure canonico, *electio* actus *collegialis*, communiter, collegialiter, *capitulariter*, suscipiendus, perficiendus. *cap. 55. X. de Electione.* Conf. Ill. BOEHMERI *Jus Eccl. ad tit.* DECRETALIUM *de his quæ fiunt a majori parte capituli*, *§. 9. 10. Tomo 2. pag. 666.* & *ad tit. de Jure Patronatus*, *§. 70. Tomo 3. pag 510.* ubi de *præsentatione*, pluribus Patronis, circa subjectum *dissentientibus*. competente, luculenter agit.

k) Sic, ubi suffragia in consultativa & *decisiva*, theoretica & *practica*, *affirmativa* & negativa, complexa & *simplicia* dividuntur, sua sponte patet, suffragia in *electione* Imperatoris, *decisiva*, *practica*, *adfirmativa*, & *simplicia* esse, secundum ea, quibus *divisiones* hasce explicavit *Ill. Dn.* ICKSTATT in laud. jam *Diss. de maj. suffr. num. cap. 1. §. 26. 29. 30. 51.*

---

§. III.

PARITAS SVFFRAGIORVM ELECTIVORVM.

Difformia, Electorum in electione Imperatoris, *suffragia*, secundum ipsam diversorum suffragiorum naturam, inter duos, tres, quatuorve Regni candidatos, necessario *divisa* esse debent. Hæc autem *divisio*, suffragiorum electivorum, inter candidatos, vel *pari*, vel *impari* eorundem *numero* fieri potest. Quo *posteriori* casu, quum *diversi* nempe Regalis dignitatis candidati, *diverso* quoque suffragiorum *numero* gaudent, *majoritas* suffragiorum electivorum, quoad *numerum*, hoc est *pluralitas* eorum sibi vindicabit locum. *Priori* vero casu, quo cuique candidatorum *idem* suffragiorum *numerus* cecidit, PARITAS sive *æqualitas* SVFFRAGIORVM ELECTIVORVM oriatur, necesse est. Quid igitur, ubi *paria* sive *æqualia*, Electorum in electione Imperatoris sunt *suffragia*, judicari debeat? paucis vel ideo, prius, quam ipsam illorum aggrediamur *pluralitatem*, dicendum erit, quoniam *paritas* hæc, etiam tum, cum impar est, *septem* vel *novem* Electorum numerus, uno scilicet *alium* plane atque a reliquis duabus partibus *diversum*, eligente, multo magis ubi pari numero, *sex* vel *octo*, eligunt, deficiente vel *suspenso*, illa vice, suffragio aliquo, velut in proxime futura electione, ut fama fert, BOHEMICO, tam inter *duos* quam *plures* Regni candidatos, contingere potest. Erit autem tunc causæ, hujus decisio, ex ipso jure publico *universali*, admodum facilis. Hoc enim dubio caret regula: *Paribus* atque AEQVALIBVS *suffragiis* nihil agitur, NEMO ELIGITVR. Ratio sufficiens est in promtu. Omnium *suffragantium*, uti in genere, ita & in specie in collegio Electorali, jus, *æquale* est. Nullius membri sententia, alterius suam, ubi suffragia *numerantur*, non *ponderantur*, vel bonitate, vel pondere præcellit. Hinc *numero* quoque illorum utrinque, secundum hypothesin, *æquali*, omnis plane deficit ratio,

 cur

cur *huic* potius, quam *illi* ſuffragiorum parti, palma ſit tribuenda. Et quoniam hoc rerum ſtatu, *ad mutationem non ſatis adeſt momenti*, a) res in priori ſuo *ſtatu* permanet. Hoc eſt, ſi de *electione* ſermo, neuter candidatorum, *æquali* ſuffragiorum numero ſtipatorum, *electus*, nullaque plane *electio* facta, cenſetur. b) Cum vero *electiones*, præſertim *Imperatorum*, iis merito accenſeantur negotiis, quæ, cum alias nullum unquam *Imperium* conſequeretur caput, in priori illo ſtatu, inprimis *interregni*, permanere nequeant, nec tamen vel Homo, c) qui hoc in *paritatis* dubio decidere valeat, vel Lex, quæ hancce tollat *ambiguitatem*, vel Observantia illorum temporum, quibus electio *legibus* circumſcribi cœpit, *inveniatur*, nihil amplius ſupereſt, quam ut, repetitis prius deliberationibus, ipſe *electionis* actus denuo inſtituatur, totiesque *repetatur*, d) donec vel *pluralitas* vel *unanimitas* e) emergat. His enim duobus tantummodo *modis*, Imperator hodie *eligi* poterit. f) Aſt, quid ſi iterata hujuſmodi repetitione, neque *unanimia*, neque *majora*, reſultent? Si nullus ſententiam ſuam mutare, alterique, ut *majora* fiant, accedere velit parti? prout ideo facile contingere poſſet, quia utrique *parti* & unicuique *ſuffragatori*, idem *jus*, eademque proin *ſpes* ſit, alium quendam ſibi acceſſurum fore. Crucem, hic caſus, ſi, quod DEVS avertat clementiſſime, exiſteret, *interpretibus* juris publici figeret haud parvam, quorum plerique non auderent *reſpondere*. Neſcimus autem, quod *problema* eſto, an non *diſcors* ejuſmodi *electio* vel tandem *comitiis* deferenda, isque Imperator habendus foret, quem *reliqui* Germaniæ Status, g) vel *omnes*, vel *plures* optaverint, quorum judicio, etiam adhuc poſt excluſionem, ab ipſa *electione*, multum ſubinde in *diſcordia* præſertim, tributum fuiſſe, *exemplis*, facile, ſi opus eis foret, demonſtrari poſſet.

---

a) Ut egregie, hodienum *incomparabilis* ſcribit H. Grotius de *J. B. & P. libro 2. cap. 5. §. 18.*

b) Adſtipulante præſertim Rumelino *ad Aur. Bull. Parte 1. Diſp. 3. th. 11. pag. 66.* Conſentiente etiam *Virorum longe cel* Biga Dn. Cramero in *progr.* quo *Marb.* anno 1733. *calculo Minervæ* ſuos vindicavit terminos *pag. 7.* atque Dn. Ickstatt in Diſſ. *de majori ſuffrag num. cap. 1. §. 59. 60. ſq.*

c) Parum enim hodie curari videas, tam *Pontificis*, ſibi hanc deciſionem ipſo quoque *cap. 34. venerabilem X. de Elect.* vindicantis, nænias, quam *ſpeculi Saxonici*, *Weichbildi Magdeburgici*, illorumque, qui hisce nituntur, velut *Card.* Hostiensis ad dictum *cap. 34.* & P. de Andlo *de Imp. Rom. libro 2. cap. 2.* nugas, quibus Regem Bohemiæ, ceu peregrinum & *juris Slavici*, ordinarium electorem tum demum fuiſſe judicant, *cum alii discordarent*, ut *ille*, vel ut *hic* ait, *cum vota Electorum æqualia eſſent numero*, ut nempe decidat, *majora* faciat, agatque proin, quod cognitorum, vid. *dict. cap. 34.* vel argumento *jurium*, Civilis, in *L. 17. §. 5. & 6.*

D. de

D. de Receptis, atque CANONICI, in *cap. 12. X. de Arbitris*, vid. *Ill.* BOEHMERI *Jus Eccl. Tomo I. pag. 960.* SUPERARBITRUM, Germanis nostris einen Obmann, ut ipsa illa *jura Germanica* loquuntur, decet, cum tamen hic ipse nunquam aliud quid fuerit, quam erster, oberster, weltlicher Chur-Fürst. Adeat, cui volupe, prolixiorem hujus veterum *commenti* refutationem, exhibentem PFEFFINGERUM ad VITR. *Tomo 3. pag. 860. & 867.* Quodsi adhucdum secundum *veteris* & *medii* ævi, Germanici *juris publici* principia decidendum foret, *vel alter candidatorum per potentiam* (ut alio demonstrabimus loco) *obtineret*, *vel ad Comitem Palatinum*, *tanquam ad hujusmodi discordiæ judicem*, *recursus foret habendus.* Utimur verbis *Pontificis* URBANI IV. in *literis* suis ad RICHARDUM apud LEIBNIZIUM *in Cod. juris Gent. Dipl. pag. 15.* Quorsum addi omnino meretur *Ill. Dni* SENCKENBERG *fabula judicii palatini in Cæsarem*, *cap. 5. §. 5. pag. 32. sq.*

d) Consilio *Dom.* ARUMÆI in egregio suo ad *Aur. Bull. Disc. 2. th. 17.* THULEMARII *de Octoviratu cap. 24. §. 83. pag. 467.* & inprimis Ill. quondam de COCCEJI in *Diss. de maj. suffr. numero & calculo Minervæ sect. 2. §. 12. pag. Exerc.* junctim edit. *Tomo 2. 728.*

e) Quorsum etiam, ad *unanimitatem* puta, referimus COMPROMISSUM, adprobatum, generatim, quoad electiones, JURE CANONICO, vid. *can. 24. Concil. Lateran. sub* INNOC. III. *Romæ anno 1215.* habiti, & *cap. 42. X. de elect.* & speciatim, quoad electionem, Imperatoris, quarundam, velut RUDOLPHI I. *Habsp* & ADOLPHI *Nassov.* electionum exemplo & OBSERVANTIA. Ad *hoc* enim, quia singulorum interesse & jus suffragii, cujus particularem continet *renunciationem* & translationem, propius concernit, *unanimis* singulorum requiritur consensus. vid. *van* ESPEN *Jus Eccl. parte 2. tit. 21. cap. 4. §. 6.* Si modo *istud* adhuc hodie post *Auream Bullam* obtinere poterit, cum *illa* unice commendet *scrutinium*, illudque & *observantia* noviorum temporum taceat & *schola.* Nisi *compromissum* modum plane *extraordinarium*, non nisi *favore* necessitatis licitum, dicere velis

f) Sanciente id, tantum non diserte, *Aurea Bulla tit. 2. §. 4. 5. 6.*

g) Observante ERICO MAURITIO in *Diss.* sua *de Orig. Elect. & comitiis elect. sect. 2. §. ult.*

---

§. IV.
PLURALITAS SUFFRAGIORUM ELECTIVORUM.

Hæc, de *paritate* suffragiorum, in electione Imperatoris, præmonenda fuerunt. Sequatur nunc eandem, ipsa, pluribus jam exponenda, *suffragiorum electivorum* PLURALITAS. Hæc nihil aliud est, quam MAIOR suffragiorum, speciatim *electivorum*, NUMERUS, secundum quem negotia publica, & inprimis *electiones* Imperatorum ad effectum deduci solent. Supponit itaque *illa*, horum suffragiorum *computum.* COMPUTUS suffragiorum est *numeratio* atque *connumeratio* eorum, quæ unius generis, quæ *uniformia*,

mia, velut inter *electiva*, ſpeciatim eorum, quæ *hunc* & illorum, quæ *alium* deſignant. Dum nempe hæc ipſa, VNIFORMIA, *connumeranda* deinceps atque *computanda*, ut *unitates* conſiderantur, atque cum alterius generis *unitatibus* conferuntur, ſecundum *quantitatem* ſive multitudinem *æſtimantur*, non vero *qualitatem* ſive bonitatem internam *ponderantur*, eaque poſtremo *præferuntur*, quæ *numero* reliqua vincunt. Sic, ut *præſenti* hæc dilucidemus exemplo, ſi, *novem* poſitis Electoribus, huic *quinque*, illi vero *quatuor*, vel *duo* primo, *tria* ſecundo, & *quatuor* tertio faveant, tunc ſua ſponte patet, non ſolum, quæ *illum*, quæ *hunc*, quæ *primum*, quæ *ſecundum*, quæ *tertium* eligunt, unius generis, unius internæ qualitatis, ac proin *connumeranda* eſſe, ſed & quod proin caſu, QVINQVE illa, quæ *huic* ceciderunt, & in ſpecie poſteriori QVATVOR illa, quæ *tertium* deſignarunt, reliqua omnia, tam ibi *quatuor* iſta, quam hic *tria* illa & *duo* NVMERO vincere, ideoque iſtum cenſeri IMPERATOREM *electum*, qui, ut ibi, vel *quinque*, vel ut hic, *quatuor*, paucis PLVRIBVS *ſuffragiis* electus fuit. Id quod id ipſum eſt, quod ſtatim, cum *præliminaribus* hiſce, ab aliis ſatis jamjam ex poſitis a) diutius inhærere non liceat, ex ipſo particulari *Germanico* jure publico, potiſſimum vero *Aurea* CAROLI IV. *Bulla* b) *antiquiſſima* fere & maxime *fundamentali* Lege Imperii demonſtrandum erit. Ita vero ILLE *ibidem: Nec a modo dicta civitate Franckenfort ſeparentur Electores, niſi prius* MAIOR PARS *ipſorum temporale caput mundo elegerit.* c) Porro: *Nullatenus civitate exeant antedicta, niſi prius per ipſos vel* MAIOREM PARTEM *ipſorum Rector & temporale caput fidelium* electum fuerit. d) Iterum, & quidem peculiari hunc in finem poſito commate; *Poſtquam autem in eodem loco ipſi, vel* PARS *Ipſorum* MAIOR *numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, concorditer celebrata.* e) Denique ultima capitis ſecundi pars diſerte innuit, *quatuor ſuffragia*, tum ſcilicet, cum *ſeptem* adhuc fuerint Electores, MAIOREM conſtituere, hancque valere PARTEM. f) Quas CAROLI *conſtitutiones* ulterius in ſequentibus, ipſa hujus pluralitatis *computatione*, dilucidandas, non ſolum aliquibus, eaſdem inſecutis, confirmatas fuiſſe *exemplis*, verum etiam hodienum in quavis *electione*, licet *unanimi* poſtea, prævia illa, de obſervanda ſuffragiorum pluralitate, *ſtipulatione* confirmari novimus. Quod *exempla* iſta *confirmatoria*, hujusque pluralitatis, poſt Auream Bullam obſervantiæ *probatoria*, adtinet, ea neque adeo *multa*, neque adeo *certa*, nihilominus tamen *proferenda* ſunt. CAROLVM IV. *patrem*, in Regno & Imperio, *unanimi* Principum Electorum *conſenſu*, jam iſto adhuc vivente Rex deſignatus, excepit *filius* WENCESLAVS. Cum vero hujus *in imperando mores & actiones indecentes* fuerint & *deteſtabiles*, g) de illo ſæpius monito, correctionem non moliente, *exauctorando* cogitarunt Electores, idque etiam primum ipſo facto, *electione* FRIDERICI *Brunſuicenſis*, TRIBVS h) ſaltem

ſaltem menſe Majo anni M. CCCC. eidem ſuffecti ſuffragiis, deinceps vero ejuſdem anni die Aug. XX. *ſententia* exauctorationis, tandemque, *occiſo* antea nondumque *coronato* FRIDERICO, *electione* RVPERTI *Palatini die XXIV.* perfecerunt. Quem non niſi QVATVOR, tribus ſcilicet *Eccleſiaſticis*, ſuoque, *ſuffragiis* Regem electum fuiſſe conſtat, i) *eiſdem* nempe, quibus WENCESLAVM prius deſtitutum novimus, *abſentibus* in utroque actu tam *depoſitionis* quam *electionis*, *Saxone*, atque *Brandenburgico*, nec non ipſo *Bohemo*. Vnde proprie loquendo, cum Aurea Bulla *abſentium* ſuffragia plane non attendat, k) iſthæc RVPERTI Electio *unanimis* potius quam *pluralitate* ſuffragiorum facta fuit. IODOCVM, *Moraviæ Marchionem*, tumque *Electorem Brandenburgicum*, illum *trium* menſium Imperatorem in diſcordia contra SIGISMVNDVM, non niſi *quatuor* vel *quinque* ſuffragiis electum fuiſſe, nemo hodie amplius dubitat. l) In Electione ALBERTI II. expreſſa quidem *Moguntini*, *Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Palatini* atque *Brandenburgici*, nulla vero prorſus tam *Saxonis* quam *Bohemi* mentio fit. m) FERDINANDI I. Regis Romanorum electioni IOANNEM *Saxoniæ* Ducem atque Electorem, una cum aliis *Principibus* Proteſtantibus, diu contradixiſſe conſtat. n) Cum FERDINANDVS II. eligeretur, anno ſcilicet MDCXIX. FRIDERICVS V. Comes atque Elector *Palatinus* ſua voce MAXIMILIANVM *Bavarum*, ſed ob *pluralitatem* ſuffragiorum FERDINANDO II. faventem, *fruſtra* elegiſſe novimus. Quæ ſuperſunt SIGISMVNDI, defuncto nempe IODOCO, FRIDERICI III. MAXIMILIANI I. CAROLI V. MAXIMILIANI II. RVDOLPHI II. MATHIÆ, FERDINANDI III. & IV. LEOPOLDI, IOSEPHI, atque CAROLI VI. electiones, iſtas concordes atque *unanimes* fuiſſe, illarum *hiſtoriæ* nos docent. Quod vero *poſterius*, modernam putamus *ſtipulationem* adtinet, ea omnino, egregiam *pluralitatis* hujus ſuffragiorum electivorum, præter *legem* ſcriptam, atque qualemcunque licet, *obſervantiam*, continet *confirmationem*. Scilicet, ubi ipſa *electioni* deſtinata dies illuxit, omnesque *Electores* præſentes, abſentiumque *Legati* in CONCLAVI loca ſua occuparunt, Notarii teſtesque adſunt, Elector *Moguntinus* reliquos TRIA plerumque interrogare ſolet. *Primo*, an forte cuidam illorum quoddam adhuc cognitum ſit electionis impedimentum; *ſecundo*, an Electores ſæculares, capitulationem jam antea confectam, in eventum, ſi ipſos eligi contingeret, acceptare; *tertio* denique: An vigore legis non ſolum *ſcriptæ*, Auream puta Bullam, ſed & *non ſcriptæ*, ſive obſervantiæ Imperialis, in caſu, ſi *ſuffragia* ipſorum forent *difformia*, MAIORA, id eſt, *majoris* illorum *numeri* ſententiam adtendere, ejusque IVS adeo ſalutare, nova promiſſione, STIPVLATA MANV, jurisjurandi loco confirmare velint? o) Quod facere adeo non recuſant, ut omnes potius *dextram* ſtatim præbeant. Quo facto, confectisque deſuper inſtrumentis, ipſa demum inchoari ſolet *Electio*, quæ, cum unus alterve ſe fruſtra diſſenſurum, hacque ratione maximum electi *odium* incurſurum

fore,

fore, prævideat, a longo tempore, *unanimis* facta fuit, quod ut & *hodiernum* fiat, est, quod omnes boni peroptant.

---

a) Quo nomine e *sexcentis* aliis omnino commendandæ sunt Coccejana & Ickstattina, *de eo quod justum est circa majorem suffragiorum numerum, dissertationes.*

b) Quod nihil plane de hujus ipsius *suffragiorum in electione Imperatoris pluralitatis* Origine atque Observantia ante *Auream Bullam* adtulerimus, sed ab hac demum inceperimus, miraberis forte & non sine causa B. L. Verum ista de Origine *disquisitio* sub manibus adeo excrevit, ut *peculiari*, eodemque proxima occasione prodituro, reservanda fuerat *opusculo*, quo eandem statim cum ipsa *Electorum solitariorum origine* natam, atque omnium primo circa *electionem* Rudolphi *Habsp.* observatam fuisse demonstrabimus, eorumque omnium, qui istam vel ab ipsa *electionis* origine, vel *unione electorali*, imo *Aurea* demum *Bulla* repetunt, confutabimus opinionem.

c) *Tit.* sive *Cap. 2. §. 4.* d) *Tit. 2. §. 5.* e) Eod. *Tit. 2. §. 6.* f) *Ibidem §. 10.*

g) Sunt ipsa *sententiæ* a Moguntino contra Wenceslaum latæ verba apud Urstisium *Tomo 2. in fine.*

h) Docente H. Meibomio, *Nepote*, in pec. de hac Frid. *Br. electione*, quæ extat in *Tomo Script. Germ.* Meibom *3. fol. 420.*

i) Evolvas hanc *electionem* atque præviam Wenceslai *depositionem* ex ipsis illarum *actis* exhibentem *Ulr.* Obrechtum in *Adparatu Jur. publ. p. 43. sq.* Addi tamen poterit *spicilegium* horum actorum in *Edm.* Martene *Thesauro Anecdot. Tom. I. p. 1634. 1636.* obvium.

k) Postquam sc. genuinam hujus Jodoci *electionem* ex ipsis *actis* investigavit. Cel. Kohlerus *peculiari* de illa habita *Diss.*

l) Ab Andr. Presbytero *Ratisbonensi in Chron. Bav.* apud Schilterum in *vol. rerum Germ. pag. 61.* Imputent vero hi sibi ipsi *absentiam* suam, *unanimitati* non obstantem.

m) Conf. Sleidanus *libr. 7. Comment. suorum* & Goldastus in denen Politischen Reichs-Händeln *§. 2. 3. pag. 137. 140.*

n) Habes *voti* illius *Palatini* verba in *Manifesto* Caroli Ludovici, *filii* illius, *de anno 1637.* apud Londorpium *Tomo X. Libro 3. cap. 109. pag. 771.* Adde *pag. 726.*

o) Ad uberiorem hujus *stipulationis* minus quidem *necessariæ*, quam *utilis* dilucidationem, ipsa *solemnium* hujusmodi *quæstionum* verba dabimus, prout ea Moguntinus in *electionibus* novissimis Josephina & Carolina protulit, apud *Sigism.* Ferrarium de *Elect. & Coronat.* Josephi *part. 2. cap. 2. p. 105.* atque in Diario *electionis Carolinæ Francof. ad diem 12. oct.* nec non *Ant.* Fabri Staats-Canzley *tomo 18. pag. 477.* in sequentibus absque magna *diversitate* reperienda terminis. Wie nicht weniger da bey dieser Wahl *disparia* (oder spaltige) *vota* sich ereignen möchten, daß alsdann die *majora* (mehrere Stimmen) gelten, und die-

jenige

jenige Person, auf welche die mehrere Stimmen fallen, anders nicht, als wenn selbige einhellig (einmüthig) erwählet, (zum Röm. König erkieset,) und dafür gehalten (auch *proclamirt*) werden solle; als wolle sich Chur-Maynz versehen, man werde solches alles an geschwohrner Eydesstatt zuzusagen, (mit gegebenen Händen an Eydes-statt zu versprechen) kein Bedencken tragen, worein die Herrn Chur-Fürsten und Gesandten ebenfalls gewilliget, und darauf einander die Hand gegeben, (diese an Sie gesonnene Handgelob- und Versprechungen würcklich geleistet.) Cæterum eandem hanc *stipulationem* jam in CAROLI V. *electione anno 1519.* a MOGVNTINO adhibitam fuisse, *Protocollum* istius *electionis* docet apud GOLDASTVM *Parte I.* derer Reichs-Händel *tit. 26. p. 41.* Tum enim, potissimum ob *conatus* TREVIRENSIS pro FRANCISCO *Galliarum Rege* necessaria hæc *cautio* videbatur, inde forsan hucusque retenta.

§. V.

PLVRALITAS VEL ABSOLVTA VEL RESPECTIVA.

Hanc ipsam, quam in *Electionibus Imperatorum* obtinere modo probavimus, suffragiorum pluralitatem, ex divisione suffragiorum *difformium* inter Regni candidatos, sed *impari* atque *inæquali* numero facta, oriri jamjam observavimus. Quodsi igitur, ut ad id nunc progrediamur, quod caput rei est, suffragia hæc *electiva* inter candidatos non plures quam *duos* divisa sint, *majora*, quæ inde oriuntur, necessario *dimidium* totius *Collegii Electoralis*, NVMERVM excedent. Quam ob rem tam *ipsa*, quam ipsorum effectus, *pluralitas* sc. ABSOLVTA dici solent. Quodsi vero suffragia *electiva* inter plures candidatos, *tres* velut *quatuorve* divisa sunt, *majora*, quæ inde oriuntur, necessario *dimidio* totius *Collegii Electoralis* NVMERO minora erunt. Quam ob rem tam *ipsa*, quam ipsorum effectus, *pluralitas* scilicet, RESPECTIVA dici solent. Sequens *exemplum*, tam ipsam hujus *pluralitatis* suffragiorum, *respectivæ* atque *absolutæ*, diversitatem, quam earundem *adpellandi* rationem, pluribus dilucidabit. Collegium *Electorale* modernum, connumerato tantisper quoque BOHEMICO, *novem* tam *Electoribus*, quam *suffragiis* absolvi, lippis & tonsoribus notum est. Iam igitur, fac *duos* saltem adesse, qui Regnum ambiant, quos inter *novem* hæc suffragia, sed *impari* numero, divisa sint, tunc si PRIMO *sex* faveant, SECVNDVS autem *tribus* gaudeat, is habebit *majora* & quidem *absoluta*. Ratio, quia *numerus* suffragiorum suorum non solum *tribus* competitoris sui suffragiis, sed & *dimidio* totius Collegii numero *major* est. Fac autem e contrario, *novem* hæc suffragia *electiva* inter tres Regnum ambientes candidatos *impari* numero ita esse *divisa*, ut PRIMVS *quatuor*, SECVNDVS *tria*, TERTIVS autem non nisi *duo* nactus fuerit suffragia, PRIMVS quidem habebit *plura* seu *majora*,

non autem totius *Collegii* intuitu, ejusque *dimidium* numerum ſuperantia, hoc eſt *abſoluta*, ſed tamen *reſpectiva*, hoc eſt reſpectu reliquorum ſuorum *Competitorum*, SECVNDI atque TERTII, *majora*. Fatemur, *adpellandi rationem* non adeo commodam eſſe, neque tamen illa commodiorem novimus. Quæ enim hac ratione *abſoluta* ſunt, ea pariter totius *Collegii* intuitu *reſpectiva* dici poſſunt. Vt adeo *utraque* proprie *reſpectiva* adpellari poſſent. *Illa*, quæ *abſoluta* vocantur reſpectu totius *Collegii*, cujus *dimidium* ſuperant numerum. *Hæc* vero, quæ regulariter & eminenter *reſpectiva* audiunt, reſpectu plurium *competitorum*, quorum ſuffragiorum numeros, *ſigillatim*, minime vero *conjunctim* ſuperant, talia forent. Neque ad defenſionem hujus *adpellationis* ſufficit, hæc ideo *reſpectiva* adpellari, quia nec *perpetuo* nec conſtanter, ſed ex *accidenti* ſaltim majora ſint, hæcque eſſe deſinant, ſi reliquorum nonnulla *conjungantur*, quia idem de *abſolutis* dici poterit, quippe quæ pariter *talia* eſſe deſinunt, quam primum quædam eis *ſubtrahuntur*, atque vel cum contrariis *conjunguntur*, vel *tertio* cuidam interveniendi conceduntur. Interim, cum *perſpicua* terminorum *explicatio* omnem tollat *ambiguitatem*, in *terminis* ſimus faciles, modo in *re ipſa* conveniamus.

---

§. VI.

PRO ABSOLVTA PLVRALITATE COMMVNIS OPINIO.

Vbi vero jam *ipſa*, cujus in gratiam hæc omnia *præmiſimus*, inſtituitur *quæſtio:* utrum in *electione* Imperatoris a) *pluralitas* tantummodo *abſoluta*; an vero etiam *reſpectiva*, valeat? hoc eſt, utrum *majora* in electione Imperatoris ſuffragia, *dimidium* totius *Collegii* electoralis *numerum*, ſuperare debeant; an vero ſufficiat, ſi, quæ *plurima* ſunt, ſuffragia, *reſpectu* ſaltem, tum reliquorum *competitorum*, tum *minorum* eorundem partium, *majora* ſint? COMMVNEM atque *unanimem* omnium fere juris *Germaniæ* publici, quotquot nobis adhuc evolvere licuit, interpretum, illam deprehendes b) SENTENTIAM, quæ ſuffragiorum *pluralitatem*, non niſi ABSOLVTAM, in electione Imperatoris *admittit*, quæ *majora*, dimidiam præciſe totius COLLEGII partem ſuperantia, *talia* demum *agnoſcit*, quæ cum hodie NOVEM ſint *Electores*, neminem, niſi QVINQVE eorundem *ſuffragiis*, Imperatorem *eligi* poſſe, docet. Cum vero, inter præcipuas *diſcendi* regulas, illa quoque haud poſtrema ſit, quæ de veriſſimis etiam *dubitare* jubet, nemo nobis, a *præjudicio auctoritatis* longe alienis, vitio vertere poterit, ſi liberrima iſta, qua in *Germania*, quoad *publicas* etiam cauſas, ex ipſa illius *formulæ* natura gaudemus, facultate c) utentes, de hac quoque, certiſſima *huc usque* ab *omnibus* habita, dubitemus ſententia, eumque in finem, *primo*, argumenta proferamus iſta, quæ RESPECTIVA, tam in *genere*, (§.*ſq. VII.*) quam adplicate

adplicate ad *electionem*, (§. *VIII.*) & quidem *Imperatoris* Romano-Germanici, (§. *IX.* & *X.*) commendare valeant, *secundo*, eorum recenseamus fundamenta, quibus *unice*, sive in *genere*, sive in hac quoque *specie*, placent ABSOLUTA, (§§. *X-XV.*) hisque, *tertio*, pro ea, qua decet, tam erga *Leges* Imperii, quam præcipuos, rerum Imperialium *Consultos*, pietate & modestia, ista statim (*cit.* §§. *X-XV.*) subjungamus, quæ in favorem *respectivorum*, si pro hisce judicandum foret, regeri illis possent, in *omnibus* autem, *quarto* id sedulo caveamus, ne quod Legibus moribusve haud decisum, nos *decidere* audeamus, sed potius hic etiam ad sacrum illud confugientes silentium, hanc ipsam *validitatem* & *sufficientiam* RESPECTIVAE d) *suffragiorum in electione Imperatorum* PLVRALITATIS, non aliter quam ceu HYPOTHESIN privatam, usque ad *legalem*, sive *comitialem* ejus *confirmationem*, in utramque partem, ad instar plurium juris publici capitum, *disputandam* exhibeamus.

---

a) Quod enim ad reliqua *Germaniæ* nostræ, si ab *electoralibus* discesseris, adtinet *comitia*, tam *particularia*, quam *universalia* etiam, hæc ipsa quoque de iisdem institui posset *tractatio*, quæ tamen præsenti instituto nimis *prolixa* fuisset, atque ex eodem multam capere poterit *lucem*. Accedit, quod nostram, de hac ipsa tam *absoluta*, quam *respectiva* suffragiorum *comitialium* pluralitate, sententiam contra laudatam Cel. ICKSTATTII *Diss. cap. 2. §. 20. pag. 72.* libere jam dixerimus in *Diss. de independentia juris circa sacra* §. 16. *nota u) pag. 44. sq.* & ulterius adhuc dicere quaamus, in promisso supra *opusculo* de ORIGINE *pluralitatis* hujus *suffragiorum in electione Imperatoris*, quippe quæ olim objectum *comitiorum* etiam *universalium* fuit. Conf. interim *Ill.* B. *de* OSTERHAVSEN *Diss. de jure singulorum sect. 2. §. 4. sq. pag 33. sq. & Ill. Dn. de* LVDEWIG *ad Aur. Bull. Tomo I. pag. 378.* & *Tomo 2. pag. 1484. sq.*

b) Quem ad modum ut e sexcentis, *potiores* atque *noviores* saltem adducamus, in electione Imperatoris *majora* non nisi ABSOLVTA post DECIVM, MORIAM, EVERHARDVM, MARCAM, PANVINIVM, CASTALDVM, LANCELLOTVM, BORTIVM, SELDIVM, DIETERICVM, aliosque complures, minorum adhuc gentium deos, adgnoscunt *Gerl.* BVXTORFIVS *ad Aur. Bull. cap. 2. concl. 35.* RVMELINVS, MYLERVS, & SCHWEDERVS *ibidem* in *Diss. 3. th. 9. pag. 64.* THVLEMARIVS *in Octovir. cap. 24. §. 82.* OBRECHTVS *in Diss de elect. Imp. th. 13.* VITRIARIVS & PFEFFINGERVS, *ille* in *Instit. juris publ. Libro 1. tit. 6. §. 15. hic* in amplissimis suis ad istum notis *ibid nota b) Tomo 1. pag. 829.* STRVVIVS in *Corp. juris publ. cap. 7. §. 18. Ill. Dn. de* LVDEWIG *ad Aur. Bull. tit. 2. §. 6. nota p) Tomo 1. pag. 373. Ill. Dn.* ICKSTATT *in Diss. de majori suffr. numero cap. 2. §. 20. pag. 78. 79.* Majorem eorundem *cumulum*, non abs re *superfluum* duximus.

c) *Nos enim, ut ceteri, alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dis-*

ſentientes, alia probabilia, alia non probabilia eſſe dicimus. Nam *quid eſt, quod nos impediat, quæ nobis probabilia videantur, ſequi, quæ contra, improbare: atque adfirmandi arrogantiam vitantes, fugere temeritatem*, adde & timiditatem, *quæ a ſapientia diſſident plurimum.* Sunt egregia M. T. CICERONIS *de officiis libro 2. cap. 2. pag. edit. Elzevir. 1231. ſq.* verba.

d) Cui quidem ſententiæ, *reſpectivis* quoque, eadem, qua *abſolutis*, ratione, in ipſa etiam Imperatoris electione, faventi, atque heic a nobis in vicem *problematis*, non niſi *imperiali*, eademque *pragmatica ſanctione*, decidendi propoſitæ, nullum adhuc, quod fatemur, reperire licuit, *patronum.* Quodſi quidem *Ill. Dn. de* LUDEWIG, qui alias *veteres* non ſine gravi cauſa ſequi ſolet, quemque paulo ante pro *communi* laudavimus ſententia, in *Conſil. Halens. libro 2. conſ. 36. tomo 2. fol. 1177.* evolvas, reperies eundem circa electionem *Phyſici* cujusdam, RESPECTIVÆ huic ſuffragiorum *pluralitati*, in ſubſtrato ibi caſu, ex hac quoque *cæſareæ* electionis *analogia*, aliisque quibusdam, non adeo magni momenti, rationibus faventem, hocque nomine, laudantem tam ARUMÆUM *ad Aur. Bull. Diſc. 2. th. 16. pag. 102.* quam etiam LUPOLDUM, *Doct. Decretorum, Mogunt. Herbip. & Bamberg. eccleſiarum canonicum*, hujusque tandem *epiſcopum*, *de juribus Regni, & Imp. Rom. cap. 12.* apud *Simon.* SCHARDIUM *de jurisdictione Imp. pag. 380.* Cum tamen, poſt ſollicitam *illorum* evolutionem, habitamque diligentem eorum opinionis inveſtigationem, *utrumque*, motis etiam haud adeo multis dubiis, non niſi ABSOLUTAM admittentem videas, hincque facile credas, hos illos ipſos eſſe, quos *reliqui* hucusque *uno ore* fuerint ſecuti. Id quod, cum mirandum omnino ſit, nos ad inſtituendam hanc ipſam, penitiorem hujus rei *inveſtigationem*, ſive *utriusque* partis, quæ pro *abſolutis* adducuntur, & pro *reſpectivis* adduci poſſent, argumentorum *excuſſionem* facile commovit.

---

§. VII.
PRO RESPECTIVA PLURALITATE PRAESUMTIO.

Eſto igitur PRIMUM ſtatim, quod pro RESPECTIVA quoque *ſuffragiorum in electione Imperatoris* PLURALITATE, moveri poſſet argumentum, *præliminare* velut atque generale, quod *naturalis*, quæ pro illis etiam majoribus, quæ *reſpectiva* ſaltem ſunt, militat PRAESUMTIO, hincque oriundus generalis illorum *favor*, ſuppeditat. Ea enim ipſa, rerum humanarum *conditio*, qua *meliora*, optima, *pluribus*, omnibus haud placere ſolent, a) qua ſuffragia ob *æquale* ſuffragantium jus, *numeranda* non *ponderanda* ſunt, b) qua ſententia illorum ſuffragiorum, quæ non tam *ſaniora* atque *meliora*, quam potius *plura* & numero *majora* ſunt, adprobatur atque reliquas omnes *vincit;* c) illa ipſa *neceſſitas* atque utilitas ſuffragia *majora* non *abſoluta* modo, ſed & *reſpectiva* adprobare videtur. Omnia enim illa fundamenta, quibus ipſa ordinaria illa, quæ plerumque intelligi ſolet, *abſoluta* ſuffragiorum

giorum *pluralitas* nititur, varias iftas puta, tum ipforum in focietatem civilem coeuntium *voluntatis*, d) tum majoris in majori parte *perfpicaciæ*, e) tum facilioris negotiorum civilium *exitus*, f) *combinandas* magis atque fubordinandas, quam fibi invicem *opponendas* præfumtiones *refpectivis* æque ac *abfolutis* favent. Vnde enim *primo* demonftrari poffet, præfumtam focietatem civilem ineuntium voluntatem ad hæc, *abfoluta* intellige, folummodo reftringendam effe, cum hæc ipfa præfumtio non nifi quotidiana illa nitatur experientia, quod negotia quæcunque facilius longe fuffragiorum *pluralitate*, quam *unanimitate*, quippe quæ, præfertim in rebus magni momenti, haud fperanda, inter cafus *fortuitos* referenda, hincque legibus publicis haud ftabilienda, effectum finemque fortiantur. Hoc vero commodum multo magis adhuc ipfa *refpectiva* faltem fuffragiorum pluralitate, tum fcilicet quoque, cum *abfoluta* deficiat, obtineri poffe, ex ipfa *illius*, nec non fuffragiorum, quæ haud raro *fingularia* funt, natura deinceps ftatim oftendendum erit. Quemadmodum *fecundo* etiam illa majoris in parte majori perfpicaciæ præfumtio, *refpectivæ* fuffragiorum pluralitati pariter omnino adplicanda eft, cum illi quoque, qui ratione partium *minorum* atque competitorum faltem, licet non totius *Collegii* intuitu, *majora* faciunt, *majorem* conftituant *partem*, *majorem*que proin etiam poffidere queant *perfpicaciam*. Sed inftabis forte, effe tamen omnino adtendendum *difcrimen* quoddam quoad *gravitatem* g) inter negotia publica atque privata, quem ad modum in his, circa *civilia* atque *criminalia*, rurfus non una reperiatur differentia. h) *Ea eft*, inquies fine dubio cum Illuftri Ickstatt, i) fubinde *negotiorum gravitas*, & *finiftri eventus periculum*, *ut non nifi ex abfolute majoribus conclufum formari confultius* fimul atque fecurius fit, hucque cum *Eodem* referendas inprimis effe putabis *electiones*, negotia illa tanti momenti, in quibus totius Imperii intereffe verfatur, e quibus univerfi Imperii falus atque tranquillitas pendet. Verum enim vero, *licet* nemo ignoret, differre negotia *publica* quoad *gravitatem* fuam, alia aliis longe majoris momenti, atque proin longe majori etiam follicitudine tractanda & expedienda effe, *quamvis* inter omnes conftet, quanti *Germaniæ* interfit, illum, qui maxime idoneus, *eligi* atque obtinere, *etfi* in genere & indiftincte negandum haud fit, confultius fubinde pro re nata, *tutius* fecuriusque fore, non nifi *abfolutis* eligere, *licet* fua fponte inde fluat, legibus tam *civilibus*, quam etiam *publicis*, eisdemque fundamentalibus, *abfoluta* tantum diferte ftabiliri poffe, quanquam iftud forfan haud fuadendum fit, immo actu etiam quibufdam *juribus*, id quod de *pontificio* progreffus docebit, ftabilita effe: nemo tamen *econtrario* inficias ire poterit, quod *negotia publica* hoc quoque nomine *diverfa* effe foleant, ut alia aliis longe *celerius* definienda atque perficienda fint, quod *Germaniæ* omnino

 inter-

intersit, *electionem quamtocyus peragi*, k) quod suffragiis *respective* saltem majoribus, is quoque, qui omnium optimus, *eligi* queat, quod ex eadem jam adducta *analogia* majoris, in majori, sive respectiva, sive absoluta, parte, perspicaciæ, suffragiis, etiam *respectivis* saltem, *electus*, optimus & maxime idoneus sit censendus, quod non solum in jure publico *universali* nihil sit reperiundum, quod in genere hisce *respectivis* adversetur, l) quod denique in jure nostro publico *Germanico* neque *lex*, neque *observantia* adsit, quæ *absoluta* tantum, cum exclusione *respectivorum* præcipiat suffragia, prout sequentia quemvis facile docebunt.

---

a) Teste L. *Ann.* SENECA *de vita beata cap. 2.* ubi, *non tam bene cum rebus humanis agi*, eleganter scripsit, *ut meliora pluribus placeant.*

b) *Numeranda*, inquit *Idem*, sed alio loco in *Epist. 12. libro 2. sententiæ*, *non ponderandæ*, *nec aliud in publico consilio fieri potest*, *in quo nihil tam inæquale, quam æqualitas ipsa*, *cum par sit omnium jus.*

c) Id quod ex eadem, quam diximus ratione, pluribus probavit, qui circa *respectiva* in genere & in specie quoad *electionem Imperatoris* nihilominus dissentit Ill. ICKSTATT in *Diss. de maj. suffr. num. cap. 1. §. 35. sq. §. 65. sq.*

d) Quam potissimum laudavit H. GROTIUS *de Jure B. & P. Libro II. cap. 5. §. 17.* idemque laudatus jam ICKSTATT *§. 42.*

e) Vid. PUFENDORFIUS *de J. N. & G. Libro 7. cap. 2.*

f) Docente *Ill.* quondam de COCCEIIS in *Diss. de Numero suffragiorum & calculo Minervæ*, *sect. 1. §. 6. 9. Tomo Exercit. Acad. II. pag. 205. sq.*

g) Quorsum omnino facit egregius *Ill.* BOEHMERI labor, quo in pec. *Diss.* naturam atque indolem *causarum majorum atque arduarum* ex utroque jure, privato & publico, investigavit. vid. *cap. 1. §. 13.*

h) Conferri omnino debent HORNII atque LYNCKII *Dissss.* illa de *paribus judicum & arbitrorum sententiis*; hæc de *officio judicis circa conjungendas diversas assessorum sententias.*

i) In sæpius jam laudata *Diss cap. 1. §. 70. pag. 62.*

k) Pluribus id ostendente *Constantino* illo MODREVIO, *Polono*, in sua de *maturanda Imperatoris electione* jam superiori anno *Nanceji*, *typis*, si credere fas est, *Bassetianis*, edita *admonitione ad Germanos.*

l) Quæ proin etiam jure meritoque locum invenere in notissimis istis casibus A. GELLII in *Noct. Atticis Libro 9. cap. 15.* & QUINCTILIANI in Declam. 365.

---

§. VIII.
NATURA SUFFRAGIORUM SINGULARIUM.

GENERALIS ille, de quo nobis adhuc sermo fuit, pluralitatis suffragiorum *respectivæ*, favor atque *præsumptio* SECUNDO admodum *specialis* fit eoque fortior,

tior, ubi de ejusmodi caussis sermo, in quibus non saltem *adfirmari* quid debet vel *negari*, sed in quibus præterea aliquid *determinandum* est, cujus determinatio non uno, non duobus saltem, sed plurimis plane modis variari potest. Quemadmodum suffragiorum *electivorum* natura ita est comparata, ut non tam an *eligendum* sit, adfirmare vel negare, sed præterea etiam certam *personam*, quam futurum velint Regem, *denominare* debeant. Quæ denominatio totidem modis variare poterit, quot *personæ* adsunt *eligibiles*. Plures autem adesse posse, quis negabit? Ubinam vel *lex*, vel *observantia* illa extat, quæ non pluribus quam *duobus* Imperium ambire permittit, quæ suffragia inter *duos* saltem dividenda esse præcipit? Integrum potius est omnibus, qui quadam saltem spe istud obtinendi gaudent, hancce dignitatem summam ambiendi, quemadmodum *olim* quoque plures a) *Principum* soliti fuerant variis ideo uti *artibus*. Liberum b) potius est cuivis Electorum, istum nominandi, *eligendi*, quem ipse vult, quem ipse dignissimum putat, sive ab aliis quoque hoc ipso nomine *laudetur*, nec ne. Hic enim non confundendæ sunt *justitiæ* leges, cum *prudentiæ* consiliis, quæ aliud forsan suadere possunt. Ita ut omnino casus existere posset, quo tot *electiones* atque *electi* forent, non solum quot *eligibiles*, sed & quot *eligentes* atque *electores*, c) tot *nominati*, quot *nominatores*, si nempe PRIMUS *nonum*, SECUNDUS *octavum*, TERTIUS *septimum*, QUARTUS *sextum*, QUINTUS *quintum*, SEXTUS *quartum*, SEPTIMUS *tertium*, OCTAVUS *secundum* & NONUS denique *primum* eligeret. Quo casu *electio* omnino foret nulla, quippe ne *pluralitate* quidem sive *absoluta*, sive *respectiva*, multo minus ipsa *unanimitate* existente. Idque eo certius, quo minus ejusmodi diversa plane suffragia electiva ullius *conjunctionis*, cui infra suos vindicabimus terminos, capacia sunt. Quodsi vero etiam non *omnia* suffragia *electiva* hac ratione sint *diversa*, sed potius nonnulla ipsorum, cum aliis, ob eandem internam *qualitatem*, ob *idem*, quod in sinu fovent, *subjectum* conjungi, connumerari, hacque ratione computari queant, quædam tamen in diversa abeant, ita ut suffragia quidem *majora*, licet non *absoluta*, *respectiva* tamen oriantur, quando v. gr. QVATVOR *primum*, TRIA *secundum*, OCTAVUM *tertium* & NONVM *quartum* eligunt, tunc *primus* ille obtinebit Imperium, qui *quatuor* atque adeo majoribus, sed *respectivis* saltem stipatus est, idque non ob *generalem* solum, paulo ante stabilitam, pro respectivis *præsumtionem*, verum etiam ob ipsam illorum, OCTAVI *tertium* eligentis, & NONI, *quartum* nominantis, suffragiorum naturam, quæ omnem illorum impedit *pluralitatem*, omnem illorum prohibet *computationem*. Sunt enim *singularia*, atque ex ipsa dissentientium, præsertim vero *Illustris* ICKSTATT d) sententia *computari* nequeunt cum reliquis. *Singularia* vocamus suffragia, quæ de *simplici* deliberationis capite, veluti, quomodo reus sit puniendus, quis eligendus? prolata, *intrin-*

intrinsece inter se differunt. Exempla definitionem magis adhuc dilucidabunt. Sic is IPSE *singularia* dixit non solum illa, quibus unus e tribus judicibus reum morte puniendum, secundus relegandum, tertius vero multandum censuit, sed etiam ea, quibus e *tribus*, *quatuor* vel *novem* Electoribus, vel omnes singuli, vel quidam tamen illorum *alium*, atque a reliquis longe *diversum* eligunt. Quemadmodum enim in proposito paulo antea casu, *quatuor* & *tria* illa, quæ *primum*, quæ *secundum* nominarunt, intrinsece inter se conveniunt, hincque conjungi, connumerari, & computari possunt; ita econtrario tam hæc ipsa *quatuor*, hæc ipsa *tria*, quam *octavum* illud atque *nonum*, quorum illa *primum*, ista *secundum*, hoc *tertium*, ultimum vero *quartum* ex hypothesi laudarunt, eo ipso, quod *quatuor* diversis faveant *candidatis*, intrinsece differunt, hincque plane non conjungi, neque inprimis *duo* illa posteriora, cum nulla habeant, quibuscum intrinsece conveniant, quibuscum conjungi valeant, *computari* possunt. Omnis enim CONIUNCTIO, interna *convenientia*, COMPUTATIO autem *conjunctione* cum aliis, citra quam neque *major* neque *minor* pars intelligi potest, nititur. Est quippe *conjunctio* immediatum, *convenientia* autem mediatum *computationis* fundamentum. Cumque utrique, & *conjunctioni* & proin etiam *computationi* tantopere adversetur interna suffragiorum discrepantia, sua sponte sequitur, quæ non *conveniunt* interne cum aliis, ea neque *conjungi*, quæ non conjungi, ea neque *computari* posse. Suffragia, quæ computari nequeunt, nullius ponderis atque momenti sunt, immo quatenus de ipsa *computatione* sermo, adesse non intelliguntur, neque proin suffragiorum *pluralitati* vel obsunt, vel prosunt. Tunc igitur, quum, in *electione* quadam, adsunt suffragia *respectiva*, & quæ hæc presso pede ubique sequuntur, *singularia*, hæc *primo* non computantur, *secundo* velut absentia considerantur, unde tertio, si v. gr. ut in casu substrato, duo adsint suffragia *singularia*, collegium *electorale*, quoad istam puta electionem *duobus* intellectu juris carebit suffragiis, qua ratione *quarto* QVATVOR illa, quæ *primum* elegerunt, quæ *majorem* partem *Collegii*, in se & prout semper, abstrahendo ab hac vel illa electione, comparatum esse solet, considerati haud constituunt, hoc est *respectiva* saltem sunt, tamen obtinebunt, præsertim quod non computatis istis *duobus*, quæ secundum concessa & demonstrata computari nequeunt, singularibus, *majorem* eandemque, si mavis, nomenque saltem amas, *absolutam* constituunt partem, vel quodsi etiam secundum *fictum*, (non *verum* illorum) sive *præsumtum* consensum computanda forent, iis potius, quæ numero *majora*, quam illis, quæ *minora* sunt, atque adeo non *tribus* illis, secundum eligentibus, sed *quatuor*, primum suffulcientibus, accensenda essent. Qua enim alia ratione effectum consequi posset ejusmodi electio, in qua *majora* emergunt, quæ absque dubio

dubio etiam in *electione Imperatoris* sæpius emergere possunt, *respectiva?* An *repetenda* forsan tuo consilio erit *electio?* id quod citra necessitatem haud faciendum. In genere enim quilibet *actus*, etiam in *publico* jure, quoad ejus fieri poterit, conservandus est. e) Multo magis talis, circa quod ejusmodi *dubium*, & ipsius quidem *juris*, f) occurrit. Et quid si, facta etiam *repetitione*, denuo resultent *respectiva?* Quis hoc deinceps casu decidet? An forsan *Pontifex?* an Rex *Bohemiæ?* an Comes *Palatinus?* g) an *Lex?* an *Observantia?* quæ non reperiuntur, h) an *privatum* utriusque candidatorum *duellum?* i) an prælium in agro *Francofurtensi?* k) an omnes forsan, duo, tres, quatuorve unam eandemque dignitatem *indivisim* obtineant? l) an Imperium, Comitia, *Status* omnes? quibus id Electores vix ac ne vix quidem relinquent, nec ad id tenentur, quamdiu alia adhuc superest elabendi via. Vides inextricabiles oriri nodos, difficultates, si majora *respectiva* in electione Imperatoris repudiemus. Vides, istas uno halitu evanescere, si locum hisce relinquamus. Vides, nullum aliud adparere remedium, quo plurium *dissensus*, quo suffragiorum *electivorum* inter plures candidatos *divisio*, eademque, quæ *respectiva* gignit, inæqualis, ad concordiam, omni quippe deficiente *judice*, omnium æquali jure, reduci queat. m) Vides denique, quanti intersit *Germaniæ*, Europæ, ut in electione Imperatoris *suffragia* sufficiant, sufficientiaque reputentur *respectiva.*

---

a) WIPPO in *vita* CONRADI II. *Salici*, apud PISTORIUM *Tomo III. pag. edit. Struv. 462.* Nam cum Imperator HENRICUS II. sine filiis obiisset, quilibet potentissimus sæcularium Principum, vi magis quam ingenio nitebatur aut fieri primus, aut quacunque pactione a primo secundus (puta inter Regni candidatos) ex qua re discordia pene totum Regnum invasit. Tacemus alia *exempla & testimonia.*

b) Conferri omnino meretur Ill. BOEHMERI Diss. qua *libertatem suffragiorum in causis & collegiis publicis Halæ anno 1720.* pluribus exeussit.

c) Vt cum *Pontifice* GREGORIO *IX in cap. suo 55. X. de Elect.* loquamur, qui hancce absurditatem, ut tot sint *electiones*, quot numero *eligentes*, communi atque *collegiali* electione avertendam esse statuit.

d) In laudata Diss. *cap. 1. §. 57. 58. pag. 45. sq.*

e) Argumento tam ipsius *naturalis* quam civilis *Romani* juris. vide *L. 80. D. de verb. oblig. & L. 67. de Reg. Juris.*

f) Fatente & observante præsertim LUPOLDO *Babenb.* in laudato jam *cap. 12. de Jure Regni*, apud SCHARDIUM *loc. cit. pag. 380.*

g) Vid. supra §. 11. nota c) pag. 12. 13.

h) Prout sequentes id docebunt §§. 10. 11. & 12.

i) Qua ratione omnem hanc circa *paritatem disparitatemque* suffragiorum

difficultatem tollere voluit *Henr.* ZOLLNER in *Disp. de Elect. Imp. R. concl. 11. in fine.* Cæterum egregia multa de hoc ipso modo collegit DITHMARVS in pec. *Diss. de Judicio duellico, præsertim in causis illustribus, sect. 2. pag. 251. Exercit.* Ejus junctim edit.

h) Vid. DRESSERVM in Descript. Urb. Germ. v. Francof.

l) Suadente, egregio isto *cursuum mundi*, vid. LVDEWIGII Erläuterung der gold. Bull in præf. Tomi II. §. 32. doctore GOEDENIO in *tr. de Elect. Imp. cap. 7. n. 3.* atque exemplo *voluntarii istius* a *Cel.* KOEHLERO rursus stabiliti *consortii Imp. inter* FRIDERICVM *Austr.* & LVDOVICVM *Bav.*

m) Conf. Ill. quondam de COCCEIIS jam laud. *Diss. de num. suffr. sect. 1. §. 1. & 4 pag. Tomi II. Diss. 702. 704.*

---

§ IX.

ANALOGIA AVREAE BVLLAE.

Ne vero, expositis hisce duobus, non spernendis, pro *respectiva* suffragiorum in electione Imperatoris *pluralitate*, argumentis veluti *præliminaribus*, in generalioribus hisce diutius hærere atque penitus subsistere velle videamur; age, promoveamus pedem, descendamus ad specialiora atque videamus TERTIO: quænam, utrum nostra, an dissentientium sententia magis fundata sit in ipsis legibus publicis & præsertim lege illa, circa electionem Imperatoris maxime *fundamentali* atque principali, AVREA scil. CAROLI IV. BVLLA, ejusdemque si non *expressis verbis*, ANALOGIA tamen, in *publico* æque ac *privato* jure summe necessaria, a) atque in causarum etiam illustrium decisionibus ipsis legum *verbis* statim subjungenda. Est enim hic ante omnia fatendum, sanctiones istas CAROLI IV. jam supra in medium adductas *pluralitatis* suffragiorum in electione Imperatoris in *genere* quidem, minime vero in *specie*, vel *absolutæ*, vel *respectivæ*, mentionem facere. Occurrit ibi quidem adpellatio PARTIS IPSORVM, sive ut aliqui codices editi atque inediti leguntur, EORVM MAIORIS, verum quæ MAIOR PARS, utrum illa intuitu totius Collegii *septem - octo-* vel *novem*viralis, an hæc, comparatione partium *minorum* talis, hoc est, utrum *respectiva* quoque an *absoluta* saltem sufficiat? non exprimitur *diserte.* Hoc quidem supra laudati *absolutæ* tantummodo suffragiorum electivorum pluralitatis fautores, b) ex unica illa phrasi, imo verbo isto unico IPSORVM vel *Eorum* extorquere conantur. Inquiunt, referri istud vocabulum non solum ad Principes *Electores* in genere, sed & in specie, qua *universos*, conjunctim sumtos, *Collegium* constituentes. Hinc nullam suffragiorum *partem* ab Imperatore intelligi *majorem*, nisi quæ intuitu totius *Collegii* electoralis talis, hoc est *absoluta* sit. Verum, quo jure hæc omnia adserantur, vel exinde satis superque adparet, quod neque VERBA neque ANALOGIA *Aureæ Bullæ* huic *respectivæ* suffragiorum electivorum pluralitati adver-

adverſentur. Non illa, VERBA: quia nempe hæc ipſa, prout jacent, ſine ulteriori explicatione ipſis quoque majoribus *reſpectivis* æque commode ac quidem *abſolutis* adplicari poſſunt. c) Sic *quatuor* illa, in præcedentibus propoſiti exempli, *ſuffragia*, quæ *primum* deſignarunt, etſi *reſpectiva* ſaltem ſint, tamen MAIOREM IPSORVM ſive *Electorum*, ſive *ſuffragiorum* electivorum PARTEM conſtituunt, eam puta, quæ *primo* favet, cum reliquis, *ſecundo*, *tertio* & *quarto* longe pauciora, *tria* ſcilicet, & horum utrique *unicum* ſaltem competant. Non hæc, ANALOGIA: quia Imperator non addidit, quo intuitu, an *Collegii*, an *Candidatorum* ratione MAIOREM velit atque deſideret PARTEM. Imo quodſi loco IPSORVM in genere, adjeciſſet Imperator in ſpecie COLLEGII, nondum tamen diſerte excluſa fuiſſent *reſpectiva*. Quemadmodum hæc ipſa ideo jure civili *Romano* non arbitramur excluſa, d) quod ICTVS SCAEVOLA e) *majoris partis* CVRIAE mentionem fecerit, ſanxeritque id, quod illa egerit, valere, cum præſertim illis, *reſpectiva* intellige, admodum favere videatur elegans *argumentum*, quod non incelebris ille ICTVS RVFINVS f) ſuppeditavit declarando, illum *parte majori anni poſſediſſe* juris intellectu, qui *duobus* etiam tantummodo *menſibus* poſſederit, modo adverſarius ejus aut *paucioribus*, aut *nullis* poſſederit diebus. Quo caſu rectiſſime *pars anni major* etiam *reſpectiva* ſufficit, cum hæc ipſa *majoritas*, ut ita loquamur, ſive *anni*, ſive *ſuffragiorum*, conſiderari nequeat *abſolute*, ſed ad illos potius, quibuſcum res eſt, *adverſarios*, qui *minori* anni parte poſſederunt, & *competitores*, qui *minori* adhucdum parte ſuffragiorum gaudent, quam ad *dimidiam* totius *anni* vel *Collegii* ſeu ſuffragiorum *partem*, qua cum neque *poſſeſſioni* neque *pluralitati* ulla connexio, referenda ſit. Quem ad modum etiam *reſpectiva* jure *canonico*, non ideo, quod iſtud majora *Collegii*, g) requirat, ſed ideo reprobata dicuntur, quod ut ſuo deinceps oſtendendum erit loco h) ampliores ſuppeditet *deſcriptiones*. Vnde certo certius jam conſtare cenſemus, adductos ſupra, atque de pluralitate præcipientes *Aureæ Bullæ* textus *primo* majoribus *reſpectivis* non adverſari diſerte, *ſecundo*, ipſo quoque ARVMAEO i) fatente, tantundem pro *illis*, quam pro ipſis quidem inde concludi poſſe *abſolutis*, & *tertio* denique hanc ipſam textuum illorum conceſſam a diſſentientibus *generalitatem*, adductas jamjam pro *reſpectivis* ex eorundem natura præſumtiones, egregie prorſus firmare, atque in ſpecie etiam quoad electionem Imperatoris ulterius adhuc corroborare poſſe.

---

a) Digna omnino peculiari tractatione foret ANALOGIA IVRIS PVBLICI. Conferri interim poteſt elegans KVLPISII de *analogia juris*, *Argentorati* habita *Oratio Inauguralis*.

b) Inprimis vero BVXDORFIVS ad *Aur. Bull. cap. 2. concl. 35. pag. 115. lit. c)* RV-

MELINVS ibid. in *Diss. 5. th. 9. pag. 65.* nec non ipse Ill. ICKSTATT in laud. *Diss. cap. 2. §. 20. pag. 79.* ubi etiam in nota c) similes prorsus *Recessuum Imp.* formulas adduxit, v. gr. der mehrere Theil der Stände, aus ihnen 2c. quæ itidem *respectivis* nulla ratione obsistunt.

c) Sic ipse *Dom.* ARVMAEVS, judiciosus ille ICTVS in *Diss. 2. ad Aur. Bull th. 16. p. 102.* pro SEMPRONIO ex sua *hypothesi* TRIBVS saltem e SEPTEM suffragiis electo ita argumentatur; *Pro quo pars major numero est, is electus censetur. A. F.*

d) Frustra contradicente, omnesque electiones in genere *absolutis* adstringente MEVIO ad Jus Lubec. *Libro 1. tit 1. art. 2. num. 35.*

e) In *Lege 19. D. ad Municipalem*, puta, Legem.

f) In *Lege 56. D. d. Verb. signif.*

g) Velut in *cap. 1. X. de his, quæ fiunt a majori parte capituli*, ubi *majoris & sanioris partis capituli* generalis mentio occurrit.

h) Vid. *infra §. XIV.*

i) Ita enim ILLE *laud. loco. Et quidem, si ad verba textus nostri adtenderimus, utrique opinioni fulcimentum ex iis adstrui potest.*

---

§. X.

VLTERIOR AVREAE BVLLAE EXPOSITIO.

Qui circa hanc suffragiorum *respectivam* in electione Imperatoris pluralitatem secus sentiunt, explosa licet, quam sibi favere existimarunt, *Aureæ Bullæ* ANALOGIA, imo hac non *explosa* solum, sed & adversus ipsos *directa*, nondum tamen adquiescunt, sed denuo potius ad AVREAM BVLLAM provocant, putantque dilucidasse CAROLVM IV. *generalem* suam de pluralitate suffragiorum sententiam, eandemque in sequenti hoc commate ad *absolutam* restrinxisse. Inquit enim Imperator sub finem a) *capitis* CHRYSOBVLLAE suæ *secundi*: *In casu denique, quo tres Principes Electores presentes, seu absencium nuncii, quartum ex se, seu ipsorum consortio, videlicet Principem Electorem presentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint*, (aliis eligent) *vocem illius electi, si presens adfuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contingeret*, (aliis contigerit) *plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus constituere, ad instar ceterorum Principum Electorum.* Quæ Imperator hoc loco de suffragio electorali *sibimetipsi* dato, ejusdemque validitate edixit, ea huc proprie nondum spectant, sed infra demum recurrent. Generale enim istud, quod *nonnulli* b) in adductis modo verbis, pro *absoluta* suffragiorum electivorum, contra *respectivam*, pluralitate latere credunt, argumentum, huc potissimum redit. Collegium *electorale* CAROLI IV. & AVREAE BVLLAE ævo fuit *septemvirale*, quod nempe haud ita pridem, post *interregnum* istud, atque inde ab electione RVDOLPHI I. *Habsp.* factum fuerat. Quo posito *Imperator* & *Lex* ad id, ut suffragium

gium

gium Electoris alicujus *proprium* plenum habere queat vigorem, requirere videtur, ut huncce, qui propriæ suæ dignitatis suffragator extitit, TRES alii Principum *Electorum* suis suffragiis jam prius elegerint, isque hac ratione *quarto* suo suffragio *majora* constituere queat. Non *respectiva* modo sed & *absoluta* certe. *Quatuor* enim inter *septem* omnem reliquam *Collegii* partem superant. Fatemur argumenti speciem. Neque amplius miramur, tot primæ magnitudinis ICtos, specie ista seductos fuisse ad reprobanda penitus in *electione* Imperatoris suffragia majora *respectiva*. Verum enim vero, salva nihilominus res est. *Genuina*, quam commode admittit, hujus dispositionis CAROLINAE *interpretatio* abunde docebit, *posterius* illud non tam inde *sequi*, quam potius eidem *ingeri*. Varias hæc ipsa *verba* jamjam perpessa sunt contorsiones. Vnde æquum, ut pristinæ suæ & *naturali* quidem restituantur perspicuitati & *evidentiæ*. Hoc vero melius fieri non poterit, quam veram illam CAROLI, quam hac *periodo* exprimere voluit mentem atque intentionem sollicite investigando. Sanxerat is jam in *quarto*, *quinto* & *sexto* præsertim *capitis secundi commate* omni cura jus *majori* parti in electione Imperatoris jam antea lege non scripta competens. Ad alia dehinc in *septimo*, *octavo* & *nono* §§. progressum fecit, cum pluralitate non amplius connexa, velut Electores *tardius* venientes & *confirmationem* privilegiorum. c) Nunc vero hoc ipso *commate*, quod in adcuratius distinctis & novioribus *Aureæ Bullæ* editionibus, in capitulo secundo *decimum* est, ad eandem *pluralitatem* revertitur. Certe non animo, illam *denuo* sanciendi. Quæ repetitio, cum omnino superflua fuisset, minime præsumenda. Longe alia fuit *Imperatoris* mens & intentio. Quam etiam diserte satis explicavit tribuendo suffragiis Electorum *sibimetipsi* datis plenum vigorem. Quod ut omni possibili exprimeret claritate, sequentem proposuit CASVM. In CASV enim inquit IDEM in *principio* legis explicandæ. *Posuit* nempe finxitque omnes Principes *Electores*, numero *septem*, in electione aliqua, sive *ipsos*, sive per *nuncios* suos præsentes esse. Horum sive Electorum, sive Nunciorum *tres*, secundum Legislatoris hypothesin, velut *duo* illi ecclesiastici, *Trevirensis* & *Coloniensis*, primusque sæcularium Rex *Bohemiæ*, QVARTVM ex se seu ipsorum consortio, videlicet Principem quendam Electorem sive præsentem sive absentem, Comitem ordinis gratia tantisper intelligemus *Palatinum*, elegerunt. Hic ecclesiasticis Bohemoque pariter adstipulatur, *seque ipsum* laudat. Reliquorum trium, *Saxonis*, *Brandenburgici* atque *Moguntini* d) suffragia *alii* cuidam, non Electori, sive etiam *duobus*, hoc enim lege non expressum, ceciderunt. Hæc est nostro judicio, vera atque genuina *facti* illius, quod Imperator hic proposuit partim, partim vero in mente habuit, *species*, sive *casus*. Cujus decisio huic *secundo* inserenda adhuc videbatur *capiti*. Sanxit itaque, tam in genere suffragium illud *electivum*,

 quo

quo *se ipsum* quis laudavit, quam in specie *quartum* istud, *plenum vigorem* habere, eligentium augere numerum, *partemque majorem* constituere ad instar ceterorum Principum Electorum. Hinc vero *duo* potissimum perperam concludi, passim videas. *Primum* hujus loci non est, nisi quoad *analogiam*. Quod nempe *proprium* aliquod ejusmodi suffragium tum demum plenum habeat vigorem, cum istud *tria* jam aliorum *vota* præcesserint. e) *Posterius* id ipsum est, de quo dispiciemus. Non pauciora, quam QVATVOR, inter *septem*, & secundum proportionem hodie inter *novem*, QVINQVE suffragia, in electione Imperatoris *majora* constituere sufficientia, ex hoc ipso *textu* concludunt dissentientes. Quod vero utrumque foret justo nimis *sensum* verborum CAROLI coarctare. Quodnam enim hujus, adeo *restrictivæ*, f) *interpretationis* foret fundamentum? Nonne etiam tunc forent *majora*, cum *primus* QVATVOR, *secundus* TRIBVS & *tertius* DVOBVS gaudeat suffragiis? Hæc *quatuor* omnino non sufficerent, si non plures quam *duo* adforent candidati. Sed quum horum *tres* vel *plures* ponimus, illa *quatuor* omnino non possunt non sufficere. Hunc casum diserte & expressis verbis, quod fatemur, non attingit Imperator. Ratio autem, sensus & proin interpretatio quoque volunt, ut hic etiam ex eadem *analogia* decidendus, *verbis* illis comprehensus censeatur. Neque reclamant *verba*. Sensus est generalis: Electores *sibi ipsis* suffragari posse. g) Id quod in pluralitate *respectiva* æque ac *absoluta* fieri poterit. *Verba* autem sua ad hunc *specialem*, quem exposuimus, *casum*, inflectit *Imperator* ideo, quia ille maximas habiturus videbatur difficultates. Si nempe Electorum aliquis suo *proprio* suffragio *paria* reliquorum Electorum vota, *imparia* reddere, *majoraque* constituere & hac ratione in suum decidere velit favorem. Putavit Imperator, si huncce diserte decideret, de reliquis, in quibus perinde est, sive *proprium* alicujus suffragium *connumeretur*, sive *non*, si verbi causa reliqui *tres* posteriores non in eundem conspirent, sed *diversos* foveant *candidatos*, neminem dubitaturum fore. Neque his reapse tanta inest difficultas. Pone, *tres* priores in electione Imperatoris suffragantes *Palatino*, posteriores autem tres (in collegio *septemvirali*) *duobus* aliis favere. Quo casu *Palatinus* etiam citra suum suffragium *proprium* habebit *majora*. Ut perinde sit, sive istud *computari* queat, nec ne. Quodsi id forte neges, credasque, CAROLVM ideo *propriis* suffragiis plenum tribuisse vigorem, ut non alia, quam *absoluta* oriantur *majora*, regerimus *primo*, te id jam supponere, quod in quæstione est, *deinde* quærimus, ubinam hanc mentem vel e longinquo saltem ostenderit CAROLVS, aliumque & hunc quidem *denique* proponimus casum, quo e *septem* electoribus, DVO *Bohemiæ* Regi, DVO *huic*, DVO *alii* rursus suffragantur. Qua ratione *Bohemus* suo suffragio *majora* quidem, sed *respectiva* saltem facere potest. Adversantur enim ei ni-

hilo

hilominus adhuc plus quam *dimidiâ collegii pars*, puta *quatuor*. Et tamen eadem, pro *Bohemo* decidendi adest ratio, quæ in superiori casu. Studium nempe CAROLI IV. nunquam satis laudandum, omnia ista suis legibus avertendi *incommoda*, quæ alias ex hac ipsa in utroque casu occurrente *paritate* suffragiorum certo metuenda fuerant, huc quoque adplicandum est. Neque enim is *exceptionem* proposuisse dicendus. Adduxit potius unicum CASUM, *exemplum* quoddam, cujus decisio mentem suam, ob ipsam rationem *generalem*, itidem non specialem, satis superque proderet. Locutus est Imperator, ut *veterum* more loquamur, non *restrictive*, sed *exemplificative*. Unde qui hoc unicum *exemplum*, hunc unicum *casum* excepisse illum, eoque ipso regulam in contrarium, neminem *seipsum* eligere posse, firmasse arbitrantur, qui non alia *majora*, quam hæc ipsa *quatuor* vel *quinque* dari sibi persuadent, illi revera *Auream Bullam* ex jure *civili* & *canonico*, quibus illa tantummodo nititur regula h) eodem, quo olim jura *Germaniæ* particularia interpretari solebant, modo, propriaque sua *hypothesi*, quam nos demum examinamus, restringunt atque limitant. Id quod *paradoxon* satis videtur. Est nempe, ut hoc unicum addamus, natura *legis nostræ* eidem cum tot aliis, utriusque etiam illius *peregrini* juris legibus communis, qua in omnibus illis, quæ *speciale* aliquod *exemplum*, *specialem* quendam *casum* a Jureconsulto, Imperatore, vel Pontifice decisum continent, ex ipsa *universali* legum efficacia, a *particulari* ad *universale*, ab *exemplo* ad *regulam*, facile inde eliciendam abstrahendamque omnino valet consequentia. Non igitur, ut opinamur, AUREA BULLA *respectivis* suffragiis *majoribus* adversa videbitur.

---

a) Vide *Auream Bullam cap. 2. §. 10.* sive *ult.* hicque Commentatores.

b) Velut VITRIARIUS in *Inst.* suis *juris publ. Libro 1. tit. 6. §. 15.* & inprimis etiam LUDEWIGIUS ad *Aur. Bull. cap. 2. §. 6. nota p) lit. c) Tomo 1. pag. 374.* sq.

c) Observante inprimis LIMNAEO ad *Aur. Bull. cap. 2. §. 7. obs. 1 pag. 307.* quem ideo etiam contra frustaneam LYNCKERI *ibid. pag. 31.* contradictionem haud spernenda defendit conjectura *Ill. Dnus de* LUDEWIG *ad cap. 2. §. 10. not. l.) Tomo 1. pag. 407.*

d) Hic enim ceu *Decanus* & *Director* collegii electoralis ipsa *Aurea Bulla* dispositione suffragium suum non *primo* statim, sed *postremo* demum loco, rogatus ideo a *Saxone* dicere solet. vid. *cap. 4. §. 4.* Id quod an semper tam *ante*, quam *post* AUREAM BULLAM usu venerit, disquirit pluribus PFEFFINGER ad VITR. *Tomo I. p. 126. not. r) & s)*

e) Prout id præter BUXDORFIUM, LENTULUM, atque CLUTENIUM inprimis adfirmarunt & *Dom.* ARUMÆUS ad *Aur. Bull. Disc. 2. th. 23. pag. 117.* & DIETERICUS *ibidem cap. 2. §. ult.* solide ideo tum a LIMNAEO *cap. 2. §. 7. obs. 4. pag. 307.* tum a LUDEWIGIO *cap. 2. §. 10. not. m) Tomo I. pag. 407.* refutati.

f) Con-

f) Conferri huc meretur Cel. quondam *Lipſ* & *Francof.* JCTI HOFFMANNI *Diſſ. de ratione interpretandi Leges Imp. publicas*, *cap. 3. §. 8.*

g) Vide all loco LIMNAEVM *obſ. 4. ad §. 7. tit. 2. Aur. Bull. pag. 327.*

h) Sic quoad jus *civile* ROMANVM hic alias opponunt veteres argumentum *Legis* JVLIAE *de ambitu*, VLPIANI in *L. 1 D. de auct. tut. L. 1. §. 13. D ad SCt. Treb. L. 4. D. de Tut. & Curat. datis*, nec non conſtitutionis illius generalis *Imppp.* VALENTIS, GRATIANI & VALENTINIANI AAA. in *L. un. Cod. ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat*, quoad *jus* CANONICO-PONTIFICIVM vero *cap. fin. X. de Inſtitut. cap. 3. X. de exceſſibus Prælat. cap. 17. 50 X. de elect.* & inprimis *cap. 26. X. de jure Patron.* Vid. *Diſſ.* LYNCKERI *de præſentatione ſui ipſius Jenæ 1689.* habita. De cætero autem quemadmodum hac cauſa in *genere* & abſtrahendo ab hisce juribus *poſitivis* contrariis conſiderata, ſuffragium *ſibimetipſi* datum nihil vel *illiciti*, vel *inhoneſti*, vel *iniqui* vel *indecori* alit, ita etiam in *utroque* hoc *jure* diſtincta quoque illius *permiſſionis* occurrunt veſtigia. Vide v. gr. quoad *prius* ICTVM PAVLVM in *L. 4. D quod cujusque univ.* & in *L. 19. D. de Tut. & curat. datis*, quoad *poſterius* autem *cap. 21. 32.* & inprimis *33. X. de electione*, hicque tam, quam *ad cap. 50. Em.* GONZALEZ TELLEZ *commentarios.*

---

§. XI.
OBSERVANTIA.

Alii VITRIARII a) exemplo eo procedunt fiduciæ, ut SECVNDO ſententiam ſuam, electionem Imperatoris non niſi *pluralitate* ſuffragiorum *abſoluta*, minime vero *reſpectiva* fieri poſſe, conſtanti omnium *temporum* atque *electionum* praxi & OBSERVANTIA confirmari perhibeant, hancque obſervantiam non niſi unico WIPPONIS ab OBRECHTO b) hoc nomine adducto loco probent, quo is CONRADI II. *Salici electionem* deſcribens, *cum diu*, ſcribit, *certaretur quis regnare deberet, cumque alium ætas, vel nimis immatura, vel ultra modum provecta; alium virtus inexplorata; quoſdam inſolentiæ cauſa manifeſta recuſaret: inter multos electi pauci ſunt, & de paucis admodum, duo ſequeſtrati, in quibus examen extremum ſummorum virorum, ſumma diligentia diu deliberatum, in unitatis puncto tandem quievit.* c) *Nam cum Imperator* HENRICVS II. inquit paullo ante Idem WIPPO, *ſine filiis obiiſſet, quilibet potentiſſimus ſæcularium Principum, vi magis, quam ingenio nitebatur, aut fieri primus, aut quacunque pactione a primo ſecundus, ex qua re diſcordia pene totum Regnum invaſit, adeo ut in pleriſque locis, cædes, incendia, rapinæ fierent, ſi non is impetus illuſtrium virorum ſufflamine impediretur.* Et paulo poſtea, *privata conſilia*, pergit Idem, *& animos ſingulorum, cui quisque conſentiret, cui diſſentiret, aut quem ſibi Dominum optaret, epiſtolarum & Legatorum commoditas conferebat, neque id in vacuum.* Videri inde poſſet, olim, ſi *plures* Regnum ambierint, digniſſimos ex iſtis *ſelectos*, atque ex his *duobus* unum *electum*,

hocque

hocque ideo, ne *suffragia*, ut OBRECHTUS putavit, inter *plures* candidatos nimis *dividerentur*, posteaque non nisi *majora* orirentur *respectiva*, factum fuisse. Verum enim vero quis *primo* ex hoc *unico* WIPPONIS *loco*, de *unica* CONRADI II. *electione* agente, *universalem* quandam, omnibusque & *antecedentibus* illam & *subsequentibus* usitatam vel *legem* vel *observantiam* elicere poterit? *Secundo*, quis non videat? WIPPONEM hoc loco nihil aliud innuere, quam *Regnum*, morte Imperatoris *vacans*, initio statim *multos* quidem *ambiisse*, verum non omnes illos, ex causis ab IPSO allegatis, reliquis Principibus & Nobilibus *eligentibus* dignos visos fuisse, quibus sua manciparent suffragia. Ad *majora* autem *respectiva* non id solum requiritur, ut *plures* adsint *candidati*, sed id præcise quoque necessarium est, ut *plures* candidatorum in ipsa *electione suffragia* quædam nanciscantur, quod tamen hoc *ævo* non nisi duobus istis CHUNONIBUS contigit, cum, quod WIPPO de *selectu* inter candidatos habito refert, secundum ipsius narrationem, ipsum *electionis* actum longe præcesserit. *Tertio* quoque huic WIPPONIS loco obstat *temporis*, in quo scriptus, *ratio*. Tum enim nullam adhuc, neque *absolutam* neque *respectivam* suffragiorum *pluralitatem* in *electione* Imperatoris obtinuisse, ipse recensione *pacti* istius *singularis* a CONRADIS initi, *ut si quem illorum duorum major pars laudaret, eidem alter sine mora cederet*, satis superque demonstravit. *Quarto* alia electionum, præsertim vero, ut hic quoque *unicum* saltem producamus, LOTHARII II. *Saxonis*, d) exempla nos docent, sæpius non *duos* saltem, sed TRES etiam ad Imperium atque ad *electionem* ipsam e candidatorum multitudine *designatos* fuisse, ut proin omnino adhuc *majora* oriri potuerint *respectiva*, licitumque fuerit, suffragia in electione inter *plures* quoque quam *duos* saltem dividere. *Quinto* si vel maxime dissentientibus concedamus, quod negare neque velimus neque audeamus, omnes Imperatorum *electiones*, *pluralitate* suffragiorum factas, *absolutis* non *respectivis* perfectas fuisse suffragiis *majoribus*, nulla tamen exinde contra suffragia *respectiva* prius exsculpi poterit imperialis *observantia*, suis undique numeris absoluta, quam exemplum producatur, *electionis* alicujus ideo saltem improbatæ atque repetitæ, quod suffragia *majora* quidem, ast non nisi *respectiva* adfuerint. Quamvis enim maximas omnino *observantiæ* imperialis, ipsis quoque *scriptis legibus*, iisdemque maxime fundamentalibus subinde *æquales*, in jure nostro *publico* non ignoremus vires, hoc tamen etiam scimus, illos *observantiæ* nomine abuti, qui, quod illa diserte *stabilitum* non reperiunt, eidem *contrarium* perhibent. Nititur illa *consensu* eorum, penes quos est potestas *legislatoria*, non saltem *præsumto*, sed *vero* etiam, licet *tacito* saltem, non *expresso*. Qui vero *iste* vel *præsumi*, vel *hic* ex factis *colligi* possit, ubi casus, ut loquuntur, in terminis nondum extitit, nulla *contradictio*, eandemque insecuta *patientia* adfuit, nescimus.

 a) Qui

a) Qui in *Instit.* suarum *juris publ. Libro I. tit. 6. §. 15. praxis*, ait, *& observantia omnium temporum hanc sententiam suadent*, & *illas* tamen ne verbulo quidem ulterius allegato *probat*.

b) In *Diss de electione Imperatoris §. 17. in opusc. Argent. pag: 267.*

c) In *vita* CONRADI II. ab eodem hoc ejus *Cancellario* WIPPONE egregie satis descripta apud PISTORIUM in *Tomo III. pag. edit.* STRUV. *462. 463.*

d) Audias velim *incertum*, sed *aequalem* tamen AVTOREM *Narrationis de electione* LOTHARII II. *Saxonis*, quae tam apud PEZIUM in *Script. Austr. Tomo I. num. 30.* quam ECCARDUM in *Quaternione vet. monum. num 2.* nec non REUBERUM in *Tomo suo script. Germ. edit.* IOANNIS *fol. 464. sq.* extat. *Convenientes*, inquit, *omnes Regni Principes - - - primo* DECEM *ex singulis Bawariae, Swewiae, Franconiae, Saxoniae provinciis Principes, consilio utiliores proposuerunt, quorum electioni caeteri omnes adsensum praebere promiserunt. Hi itaque* TRES *ex omnibus, tam divitiis, quam virtute animi, praestantiores, scilicet Ducem* FRIDERICUM, *Marchionem* LIUPOLDUM, *Ducem* LOTHARIUM *in concione designantes, unum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi persuaserunt.*

---

§. XII.
ELECTIO PONTIFICIS.

TERTIO nonnulli, interque hos praecipue etiam *Illustris* LUDEWIGIUS a) *respectivae* huic suffragiorum pluralitati quoad *electionem Imperatoris*, ipsius PONTIFICUM ROMANORUM *electionis* exemplum objiciunt, hoc potissimum nectentes argumentum. Conveniunt in multis *electiones* IMPERATORIS & PONTIFICIS. *Haec* vero non nisi numero suffragiorum totius praesentium Cardinalium *collegii* intuitu *majori* absolvitur. Inde in *illa* quoque, *respectivam* saltem suffragiorum *pluralitatem* non sufficere concludunt. Fatemur, argumentum hoc sua non destitui *specie*, minimum praemissarum *utramque* aliquid ex vero habere. Novimus quippe *Pontificem Romanum* hodienum non nisi *duabus* suffragiorum *partibus* eligi. b) Sic si LX. *conclavi* inclusos fingas *Cardinales*, nemo *Papa* sine XL. vel XLI. *suffragiis* eligeretur. ALEXANDER III. is fuit, qui id *primus* in *Concilio Lateranensi tertio* sequentibus verbis constituit. c) *Statuimus ergo*, inquit ille, *ut si forte inter Cardinales de substituendo summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium praesumserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit & receptus.* Rejecta deinceps & *excommunicationi* subjecta *tertiae partis* nominatione ita pergit: *praeterea si a paucioribus, quam a duabus partibus quis electus fuerit, ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus adsumatur, & praedictae poenae subjaceat, si humiliter noluerit abstinere.*

Haec

Hæc Alexander III. Idem repetiit Gregorius XV. d) qui ſtatuit, *electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe, quam per ſecreta ſchedularum ſuffragia, duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi præſentium, niſi is unanimitate, vel per compromiſſum, vel per inſpirationem* eligatur. Quem ſecutus eſt Urbanus VIII. e) eiſdem fere verbis. f) Accedit, egregiam hujus *diſpoſitionis* ab ipſo Alexandro allegatam *rationem* in eo conſiſtere, quia in *Romana* eccleſia non poterit ad *ſuperiorem* recurſus haberi, quemadmodum in aliis eccleſiis, in quibus *majoris* & *ſanioris* partis indiſtincte adhucdum prævalet ſententia, *quia quod in eis dubium venerit, ſuperioris judicio poterit definiri*, g) atque adeo generalem, imo in electione *Imperatoris*, cui multa adhuc circa electionem *Pontificis* competunt *jura*, h) non autem, *vice verſa*, i) veriorem eſſe. In hoc vis & cardo *argumenti* conſiſtunt. Quid reſponderi queat, paucis nunc adducendum. *Primo*, neganda eſt majoris propoſitionis connexio, quæ ab electione *Pontificis* ad electionem *Imperatoris*, quemadmodum etiam *vice verſa*, in *dubio* haud procedit. Electio *Pontificis*, ceu capitis chriſtiani orbis *eccleſiaſtici*, majoris longe, olim, minimum ab ejuſdem adſeclis, momenti habita fuit, quam *Imperatoris*, ceu capitis ſaltem chriſtiani orbis *temporalis* ſive *ſæcularis*. Hinc etiam hoc ipſum circa *numerum* ſuffragiorum in *Romana* Eccleſia tanquam *ſpeciale* aliquid, utimur ipſius Alexandri III. *verbis, conſtitutum fuit, neque ideo reliquis eccleſiis & canonicis de electione conſtitutionibus præjudicium generavit.* Ceſſante præſertim quoque naturali, quæ hic ſubeſt, ratione, magno puta *Cardinalium* numero, numerum *Electorum* longe ſuperante. Hinc in electione *Imperatoris* nihil ſolemus audire de *poſtſcrutinio* & *acceſſu*, eorumque formulis & ſolemnibus, *Pontificis* electioni propriis. Multa ſunt, quod non negamus, in quibus hæ electiones, *Imperatoris* nim. & *Pontificis*, inter ſe *conveniunt*. Illa vero, in quibus e contrario maximopere a ſe invicem *diſcrepant*, non pauciora eſſe, diligens ſcrutator facile reperiet. *Secundo* probat hoc argumentum vel ideo quoque *nihil*, quia *nimis*. Sufficiunt in electione Pontificis *majora* neque *reſpectiva*, neque *abſoluta*, k) ſed requiruntur præciſe duae ſuffragiorum tertiae. Ergone idem etiam in electione Imperatoris obtinet? Quis hoc vel *fando* ſaltem unquam audivit? Hac ratione hodie nemo Imperator, niſi *ſex* vel *ſeptem* ſuffragiis eligeretur, cum tamen diſſentientibus omnibus, *quinque*, quæ *abſoluta* dicunt, ſufficiant. Qua ratione vero, vel quo fundamento argumentum hoc ab electione *Pontificis* petitum, *dividi*, & eatenus ſaltem, quatenus in iſtis duabus tertiis *majora* latent *abſoluta*, ad electionem *Imperatoris* adplicari queat, nos non perſpicere, fatemur lubentes. Aut enim valet *conſequentia*, quam negavimus, ab *electione* Pontificis ad Imperatoris *electionem*, aut non valet. Si *poſte-*

rius, habemus, quod volumus. Si vero prius, illa etiam quoad *duas tertias* suffragiorum, & alias adhuc, maximas sane diversitates, valere deberet, quod tamen a posteriori falsum. Invertimus potius omne hoc, quantumcunque est, argumentum. Quia *numerus* suffragiorum, qui *major* haberi debeat, in electione *Pontificis* tanta cura determinatus fuit, is ipse vel ideo in electione *Imperatoris* minus necessarius erit, quia eadem facilitate *exprimi* potuisset, neque tamen ullibi expressus legitur.

---

a) In der Erläuterung der goldenen Bull, *tit. 2. §. 6. not. p) Tomo I. pag. 373. lit.* a)

b) Quemadmodum etiam de electione *monialium* atque *Abbatissarum* disposuit Bonifacius VIII. in *cap. 43. §. sane 2. X. de Elect. in 6.* Quid novissime sanxerit *Concilium* Tridentinum, in *Sess.* ejus *25. tit. de regularibus & monialibus*, *§. 6.* reperies.

c) *Anno 1178. can. 1.* vid. *caput licet. 6. X. de elect. cap. 3. ibid. in 6.* & *clem. 2. ibid.* Conf. *Lud.* Thomassini *tr. de vetere & nova ecclesia disciplina Tomo II. Libro 2. cap. 113. §. 6.* & *Ant.* Pagi *in Critica ad* Baronium *Tomo IV. pag. 677. §. 13.*

d) In *Bulla*, quæ incipit *Æterni Patris Filius*, anno *1621.* edita apud *Laert.* Cherubinum in *Magno Bullario Romano Tomo III. pag. 444.* & apud *Joh. Gerb.* Meuschenium, *Theologum Coburgensem*, in *Ceremoniali* suo *electionis Pontificiæ* sive collectione *Bullarum* & *constitut.* de hac electione *anno 1732.* edita *pag. 54. §. 2. Matura itaque*, adde *§. Quodsi electio ibid. pag. 61.* atque *Ceremoniale electionis P. R.* ejusdem Papæ *ibid. §. quoniam autem pag. 74. & 93. §. quintus actus.*

e) In *Bulla* sua sive constitutione, *Ad Romani*, Gregorianæ confirmatoria, *edita 5. Cal. Febr. 1625. ibid. pag. 99.* Adde vetus illud *Ceremoniale Ecclesiæ Romanæ anno 1582. 4. Venetiis* editum *Libro 1. cap. 3. & 5. pag. ibid. 141. 149. & 155.*

f) Cæterum, quid *Pontifices* Gregorius XV. atque Urbanus VIII. sequenti *constitutione* sibi voluerint, nos nescire fatemur. Ita vero *ille* in Bulla, *Æterni patris*, *de anno 1621. §. 5. Ac si contingat plures in schedulis nominatos, duas tertias partes suffragiorum tulisse, in suffragiorum paritate neuter sit electus, in imparitate vero, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes, etiam in uno suffragio excedat, electus censeatur.* Idem ille repetiit in *Ceremoniali* suo *electionis pontificiæ* ejusdem anni *§. quintus actus*, in fine, hoc modo, *si denique scrutatores invenerint, plures candidatorum duas tertias partes suffragiorum obtinuisse, vel etiam ultra duas tertias, tunc in paritate nullus erit electus, in imparitate vero ille est canonicus Papa, qui superat alium etiam uno suffragio.* Apud Meuschenium in *Cerem. elect. pontif. pag. 55. & 93.* nec non *99. & 128.* ubi eisdem verbis concepta repetitio Urbani VIII. continetur. Qua ratione autem *plures* duæ tertiæ dari? *plures* candidati *duas tertias*, vel etiam *ultra eas*, obtinere queant? *paritas* suffragiorum, si unus jam habeat *duas* illorum *tertias* metui, denique imparitas

uno

uno saltem *suffragio* decidenda oriri possit? totidem *problemata* sunto, a nemine facili negotio, nec aliter quam *Alexandrino gladio*, solvenda.

g) In laudato jam capite *tituli* DECRETALIUM *de electione & electi potestate 6.* in fine.

h) Jura IMPERATORIS atque *Imperii* circa *electionem* PONTIFICIS *Romani* data ideo opera enuclearunt satis superque SCHARDIUS, MAJUS, MUHLIUS, OTTO, KEMMERICHIUS & novissime quoad *exclusivam Ill. Dn. Jo. Georg.* ESTOR in suis *Dissff* & *Progrr.* Addas hisce, quoad illorum *antiquissimas* ORIGINES, necesse est *Ill. Dni* MASCOVII *XVII.* Anmerckung zu dem *XI.* Buch seiner Geschichten derer Deutschen.

i) Jura e contrario illa, quæ PONTIFEX *Romanus* circa *electionem* IMPERATORIS *olim & hodie* prætendit, post celebres istos *medii avi* scriptores a GOLDASTO in *Monarchia* & *Replica Imp.* nec non SCHARDIO *de Jurisdict. Imp.* collectis, cum cura illustrarunt *Georg. Sigism.* SELDIUS *Vice-Cancell. Imp.* in *consilio* suo sive *Responso ad Imp.* FERDINANDUM de *anno 1612. apud* GOLDASTUM in denen Politischen Reichs-Händeln *parte 5. fol. 167.* WAGENSEILIUS & MAJERUS *de elect. Pontif. Rom. Imm.* WEBERUS & *Jo.* MEISNERUS, Theologus *hic*, *iste* Jureconsultus, *in disc. de iniquis Pontif. circa Imp. elect moliminibus*, cui tit. fecit, *Papa quid facis*, *Giss. 1720.* & in der richtigen Beantwortung der Streitfrage: ob der Pabst zu Rom, bey der Erwählung eines Röm. Kaysers einiges Recht habe? *Rostochii anno 1740.* denuo edita. *Novissimos* Pontificis Romani, quum CAROLUS VI. eligeretur, *ausus* facile intelliges par les *Remarques sur le bref de sa sainteté a S. M. L'imperatrice Mere 1711.*

k) Fatente ipso quoque Dno ICKSTATT in *Diss. de majori suffragiorum numero cap. 1. §. 71.*

§. XIII.
EPISCOPORUM ELECTIO CANONICA.

Quod fere ipsum illis etiam *respondendum* foret, qui *respectivæ* huic suffragiorum in *electione* Imperatoris *pluralitati* QUARTO non tam PAPALIS quam potius EPISCOPALIS *electionis* exemplum opponunt, *majorem* inter *Episcopi* atque *Imperatoris*, quam *Hujus* & *Pontificis* electionem sibi deprehendere visi *similitudinem*. Et sane negari nequit, *canonico*, sive potius *pontificio* jure, DECRETALES putamus, in ELECTIONE EPISCOPORUM, sive potius *omnium* in genere *Prælatorum*, præsulumque ecclesiasticorum CANONICA, *majora* quidem, ast non nisi *absoluta*, *respectivis* tantum non diserte rejectis, sufficere. Vtuntur *Pontifices* non hisce quidem terminis, sed utramque tamen *pluralitatem* luculenter satis, & *respectivam* quidem hac ratione, quod comparatione partium *minorum, competitorum*, majorem quidem faciat partem, non tamen ad majorem totius *capituli* partem perveniat, *absolutam* vero, quod non solum comparatione *minorum* partium majora faciat, sed

etiam usque ad majorem partem totius *capituli* perveniat, hujusque *dimidiam partem* superet, describunt. a) Qua ratione accipienda est *major* pars electorum, sive potius *capituli*, quam una cum *saniore* b) jam INNOCENTIVS III. in generali *Concilio Lateranensi* c) ad validitatem *electionis canonicæ* requisivit. Quod adeo *verum*, atque progressu temporis huc quoque *extensum* fuit, ut *primo* talis, *pluralitate* suffragiorum *respectiva* saltem, celebrata electio, ne quidem ex *postfacto*, licet plures alii eidem deinceps *consenserint*, convalescere possit d) & *secundo* in eandem ne quidem *compromittere* liceat. e) Habet hoc ab *electione* CANONICA ad CAESAREAM ductum argumentum vel inde *majorem*, quam illud electione *papali* nitens, *speciem*, quod in illa præcise quidem suffragia majora *absoluta*, non vero uti in hac, abscisse *duæ* suffragiorum *tertiæ* requirantur. f) Quod vero nihilominus *regeri* potest, huc potissimum redit. *Primo* omnibus cognitam arbitror vim atque virtutem probandi juris *canonici* in causis juris *publici*. g) Quamvis *hujus* major adhuc sit usus, quam *Romani*. Et licet *electio* in specie illarum materiarum h) augeat numerum, quibus haud parum hodienum etiam in jure nostro *publico* prodesse solet jus *canonicum*, hoc tamen non de electione *Imperatoris*, sed de electione *Episcoporum* seu *Principum ecclesiasticorum* intelligendum est, atque adeo non ad jus *publicum* GERMANIAE *generale*, sed *particulare* saltem Principum ecclesiasticorum pertinet. *Secundo* heic quoque neganda nobis est electionum *Imperatoris* atque *Episcopi* cujusdam connexio, consequentia ab *hac* ad *illam* regulariter & in dubio ducenda, jamjam ab ipso LVDEWIGIO negata. i) Habent quidem etiam *Episcoporum* electiones haud pauca electioni *cæsareæ* similia. k) Habent vero *eædem* etiam multa, imo electione *Pontificis* adhuc plura, quæ ab instituto electionis *cæsareæ* toto cœlo differunt. Quod, si digredi liceret, facile ostendi posset. *Tertio* denique & ultimo loco monendum, naturam electionum *canonicarum* ita esse comparatam, ut hæc, de observanda suffragiorum pluralitate non nisi *absoluta*, constitutio, illis omnino adplicari potuerit. l) Duplex enim *hic* subest ratio, quarum neutra electioni *cæsareæ* convenit. *Prima* est, in electionibus *canonicis* plures plerumque esse *electores*, quam *septem* vel *novem*. Vnde necessario, cum concurrentibus, multitudine *candidatorum* & copia *electorum* suffragia nimis distrahi possent, *certus* suffragiorum *numerus* determinari debuit, nec vero *pluralitati* in genere relinqui potuit. *Secundo* si discordia in ejusmodi *electionibus canonicis* oriatur, adsunt, qui eandem sopiant, decidant, secus ac in *electione* m) *Imperatoris*, quæ nullius mortalium facile subjacet arbitrio. Imo videntur nobis *Pontifices*, ideo quoque majora *respectiva* exclusisse, ut eo sæpius, omnibusque illis casibus, in quibus *duobus* plures adsint & suffragia reportaverint candidati, ad ipsos fuerit recurrendum.

currendum. Notissima enim sunt tam *Pontificis* quam præsertim etiam *Imperatoris*, specialis omnium ecclesiarum Germanicarum *Advocati*, circa electiones *jura*, vel *prætensa*, vel *fundata* n).

---

a) Vide *cap. 48. 55. X. de Elect.* quæ hasce quidem suppeditant *descriptiones*, ipsam vero *thesin* plene haud probant, licet alias *cardinales* in hoc argumento reputentur textus. *Respectiva* enim *pluralitas* suffragiorum utrobique non sola, non unica, cur electiones istæ infirmatæ fuerint, *ratio* extitit.

b) Qua de suffragiorum *sanioritate*, notissimo isto *eridos* pomo, videri possunt *capp. 21. 29. 30. 32. 35. 42. 55. 57. X de Electione, Concil.* TRIDENT. *Sess 25. cap. 6.* CIRONIUS & GONZALEZ ad hunc *tit.* ille, *pag. 23.* hic *ad cap. 57. Tomo I. fol. 364.*

c) Conf. *caput 42. 55. X. de Electione.*

d) Vide *cap. 29. X. ibid.*

e) *Cap. 23. X. ibid. in 6.*

f) Habent tamen etiam *Episcoporum* electiones, *duabus* suffragiorum *tertiis* factæ sua commoda & prærogativas, de quibus vide *cap. 22. X. & caput 9. de Elect. in 6.*

g) Quam pluribus diduxerunt, atque prout par erat, *restrinxerunt* tum *Ill.* BOEHMERUS in *Diss. de praxi Juris Can. in terris Prot.* passim, e gr. *cap. 1. §. 27. pag. 39.* & in *pec. Progr. de praxi juris canon. in causis juris publici*, tum *Frid. Greg.* LAUTENSACK in *Diss. de inepta ratione decidendi controversias juris publ. ex jure Rom. & Can. Erford 1710. hab. §. 53.*

h) Teste tam *Eodem* LAUTENSACK in *all. §. 53.* quam *Ill.* MASCOVIO in *Princip. Juris publ. Libro I. cap. 8. §. 7.*

i) Ad *Auream Bull. Tit. 2. §. 6. nota p) lit. a) & c) Tomo I. pag. 380.*

k) Conf. omnino *Cel.* BOEHMERI *Prof. Gotting. Progr. de reliquiis juris canonici in electione Imp. 1741.*

l) Docente *Ill. Dno* ICKSTATT in Diss. sæpius jam laud. *cap. 1. §. 71.*

m) Argumento *cap. 6. in fine X. de Electione.*

n) Conf. omnino *Herm.* CONRINGII *Exerc. juris publ. de Constit. Episc. Germ.* & *Jo. Sigism.* SCHELLERI *de jure & reservato Imperatoris mittendi commissarios ad Elect. Eccles. Altorf. 1738.* Ita enim CALIXTUS II. in suis, *concordati* cum HENRICO V. tabulis, *ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani & provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium prabeas.* Apud URSPERGENSEM *Abbatem ad annum 1122.* Quæ verba *Imperatorem* ne quidem ad majora *respectiva*, multo minus *absoluta* adstringere videntur, cum non nisi *sanioris*, qualis tamen *major* præsumitur, mentionem faciant, *partis.*

---

§. XIV.
CONIUNCTIO SUFFRAGIORUM.

Sunt qui inter alia, & QUINTI quidem argumenti loco, *majora* suffragia

gia *respectiva* tam in *genere*, quam in *specie* ad *electionem* IMPERATORIS adplicata sequenti ratiocinio in fugam conjici posse, putabunt. Constare scilicet inter omnes censebunt, quod tunc, cum suffragia *majora* concludere debent, non modo *plurimorum* in idem *consensus*, sed & *paucissimorum* in eodem *dissensus* spectari debeat. Hinc pro illorum pronuntiabunt *suffragiis*, quibus *pauciora*, quam reliquis, *contrariantur*. Numerabunt enim suffragia non modo, quæ *pro aliquo feruntur*, sed etiam, quæ *alicui adversantur*, atque hoc in casu, quo *novem*, quos hodie veneramur, Electorum, *quatuor* PRIMVM, *tres* SECVNDVM & *duo* TERTIVM eligunt, PRIMVM a *majoribus* suffragiis electum esse, ideo negabunt, quod ipsi non solum *majora* RESPECTIVA, sed etiam ABSOLVTA contrariantur, illa nempe *tria*, quæ SECVNDVM, & *duo* illa, quæ TERTIVM elegerunt. Hæc enim *tria* & *duo*, sive *quinque*, licet adhuc *diversa*, in eodem tamen genere *convenire*, ac eatenus *conjungenda* esse, atque PRIMVM *excludere* facile sibi persuadebunt, fundatam censentes veterum sententiam, *suffragia*, etsi *diversa* in *specie*, in *genere* tamen *conformia* eatenus, quatenus conveniunt, *conjungenda*, illorumque *conjunctione*, a) ABSOLVTA *majora* adversus *respectiva*, elicienda esse. Quorum in *conflictu*, nullum omnino dubium, illa, *absoluta*, his, *respectivis*, palmam præripere. Imo hanc *conjunctionem* non licitam solum, sed & in casu *trium* pluriumve sententiarum *difformium*, cum alias nullus plane, uti reliquorum negotiorum, ita & *electionis*, foret exitus, summe & absolute *necessariam* perhibebunt. Vt vero, ita etiam sentientibus, ordine respondeamus, *primo* statim loco notandum erit, sententias istas, quarum *quatuor* PRIMVM, *tres* SECVNDVM, & *duæ* TERTIVM ex hypothesi elegerunt, non solum *diversas*, sed plane *singulares* esse, proinque nec *conjungi*, nec *computari* posse. Quem ad modum enim ea quidem *connumerari* possunt suffragia, quæ *primum*, quæ *secundum*, quæ *tertium* eligunt, ita econtrario non *conjungi* possunt, quæ *secundum* eligunt, cum iis, quæ *tertium* exoptant. Hæc enim *intrinsece* b) ut reliqua omnia, *conjunctionis suffragiorum* dubia atque incommoda, solide jam ab aliis notata, silentio prætereamus, differunt. c) *Secundo* nostram sententiam ulterius omnino confirmabit, quod *tria* ista & *duo* suffragia, quorum *hæc* TERTIVM, *illa* SECVNDVM elegerunt, PRIMVM tamdiu excludere *præsumenda* sint, quamdiu pro ipsorum candidatis, *secundo* atque *tertio*, ulla superest spes, hac vero, per *constantiam* reliquorum evanescente, si ulla *conjunctio* locum habere debeat, licet ipsi *electores* reapse cedere nolint, tamen ad *ea* potius referri debeant, quibus *plura* favent & *pauciora* adversantur, quam ad alia itidem *minora*. Verbo, *duo* illa TERTII *suffragia* potius cum *quatuor* PRIMI, quam SECVNDI *tribus conjungenda* forent, si modo *numerari* possent. *Vltimo* denique loco addendum, quod admissa, imo posita etiam suffragiorum illorum,

illorum, quæ dum *ſecundum* atque *tertium* eligunt, PRIMO a majoribus *reſpectivis, quatuor* ſcilicet, electo adverſantur, *conjunctione*, hæc, *reſpectiva* nihilominus triumphare queant. Pone igitur ex ipſa diſſentientium, ſupra jam relata mente, quod etiam nemo, qui *paria* ſuffragantium *jura* agnoſcit, negare poterit, illorum ſententiam atque electionem *potiorem* eſſe debere, cui *pauciora* adverſantur ſuffragia. Quis enim eſt, qui neſciat, ſi *tres* adſint pluresve ſententiæ diverſæ, ab ea, cui *plura* accedunt, *pauciora* quoque diſcedere ſuffragia, eodemque rem recidere, ſive *ſuffragia* aliquem *eligentia*, ſive alicui *adverſantia*, hoc eſt, ſententiam ſive *pluribus* placentem, ſive *paucioribus* diſplicentem adoptare velis. d) Facitaque Electorum ſuffragia inter *tres* Regni candidatos ita diviſa eſſe, ut PRIMVS *quatuor*, SECVNDVS *tria*, TERTIVS denique *duo* ſaltem habeat, quo caſu *primum* QVATVOR eligunt, ſed QVINQVE atque adeo non *plura* modo, ſed & *majora abſoluta* (inter NOVEM) excludunt. SECVNDVM eligunt *tres*, excludunt vero adhuc plures, puta *ſex*. TERTIVM eligunt *duo*, excludunt vero plurimi, *ſeptem* plane. Eſt igitur PRIMVS is, quem non ſolum *plura* ELECTORVM ſuffragia (intuitu *competitorum*, hoc eſt *reſpectiva*) elegerunt, ſed & *pauciora* illum excluſerunt. Ei enim non niſi *quinque*, reliquis vero *ſex* & *ſeptem* contrariantur ſuffragia. Quamobrem is etiam jure, & quidem ſuffragiorum *pluralitate*, ſive *majori* Electorum *numero* electus, e) dicendus eſt, quem PRIMVM diximus, cuique *quatuor* ſaltem adſignavimus ſuffragia favorabilia, *quinque* vero contraria. Qua ratione etiam hoc *electionis* negotium habere poſſet exitum, quo certe alias cariturum foret, ſi *primo*, quod ſupponimus, quilibet in ſua firmiter perſiſtat ſententia, & ſi *ſecundo* votorum *conjunctioni* illis, qui ſuffragia ferunt, invitis inhærere voluerint hujus *Patroni*.

---

a) Qua *ſuffragiorum*, in ſpecie licet *diverſorum*, in genere tamen *conformium* CONJVNCTIONE *caſus* ille atque deciſio PLINII in *Epiſtola 14. Libro 8.* nititur, ubi ſuffragia judicum reum *capite plectentia* & *relegantia*, adverſus *abſolventia*, & *hæc* deinceps cum *relegantibus* eo effectu conjuncta fuere, ut *relegatio* dictata fuerit, licet alias *mitior* ex ipſius PLINII, quam GROTIVS de jure *B. & P. Libro 2. cap. 5. §. 19.* ſequitur, ſententia obtinere debuiſſet, contra quos *conjunctionem* iſtam acriter defendit NERIVS in *Analectis ſuis cap. 30. in Theſauro J. R. Cel.* Ev. OTTONIS *Tomo II. Libro I. pag. 364.*

b) Vide ſupra §. noſtrum VIII. pag. 22. ubi *ſingularium* naturam pluribus excuſſimus, ſimulque iſta *computari* non poſſe, demonſtravimus.

c) Suffragiorum alia *conjungi* poſſunt, quod ratione *quantitatis*, illis determinatæ, ſe invicem contineant. Velut ſi ex *tribus* arbitris unus *quindecim*, alius *decem*, tertius *quinque* præſtari jubeat, tunc judicio JVLIANI apud VLPIANVM in *L. 27.*

§. 3. D. de receptis arbitris, QVINQVE omnino so'vere debet reus, quia in hanc summam *omnes* consenserunt, vel potius, quia hæc est media & *mitior* sententia. Quæ *conjunctio* magis adhuc fieri poterit, quam illa suffragiorum, *quantitate* non differentium, sed invicem & velut per consequentiam demum *similium*. Vnde ad istum *casum* restringenda, minime vero ultra eundem extendenda est, cum suffragantium intentioni e diametro adversetur. Teste GROENEWEGEN de *Legibus abrogatis Libro 4. tit. X. pag. 93. sq.* Contra quem frustra disputavit *acutissimus* alias VOETIVS in *Comm. ad D. Libro 4. tit. 8. §. 19.*

d) Quem in modum pronunciavit Ill. CRAMERVS in *Progr. de votorum disparitate ex pari suffragantium jure definienda.* Marb. *1734.* edito, *pag. 11. 12.* atque tam GELLII quam QVINCTILIANI casus hoc modo explicuit. Qui posterior in *Declam. 365. duo* exilium, inquit, *duo* ignominiam pronunciant, *vis ergo illos jungam, qui se ipsos dividunt.*

e) Addas velim *similem* prorsus a *Marq.* FREHERO *in Decis. suis Areopag.* ad illustrandum PLINII *casum* propositam speciem, *cap. 7.* Supponit is *septem* in campo Martio Electores; quorum *tres* TITIO, *duo* MEVIO, & *duo* rursus SEMPRONIO honorem aliquem decernebant. Vnde jure meritoque pro TITIO atque adeo *pluralitate suffragiorum*, *respectiva* saltem, citra ullam *conjunctionem*, decidit.

---

§. XV.

NATVRA SVFFRAGIORVM ELECTIVORVM COLLEGIALIS.

Dissentientium plurimi, istud SEXTO quoque, contra *respectivam* suffragiorum in electione Imperatoris *pluralitatem*, adferre solent, quod electio isthæc, sive potius jus *eligendi* Germanorum Regem, Romanorumque Imperatorem, *Electoribus* non qua *singulis*, sed qua *universis*, qua *collegium* constituentibus, competere dicatur. Vnde inferunt, *majora* in ista electione ratione totius Electorum *Collegii* talia esse debere. Quod vero ante omnia *vexatissimam* illam, eandemque *vetustissimam* a) *quæstionem*, utrum jus eligendi Electoribus *singulis*, an *collegio* illorum competat, qua *tali?* adtinet, plerosque, *prius* istud penitus negantes, *posterius* adfirmare non diffitemur, imo his ipsis *nostrum* quoque lubentes adjungimus *suffragium*, modo adeo *ambigua* isthæc *quæstio* rite antea enucleetur. Quodsi enim, ut aliqui, quæras, utrum jus *eligendi* Imperatorem *Electoribus*, qua peculiari *collegio*, huic actui destinato, an vero qua reliquorum con-Statuum *commissariis* competat, posterius omnino negandum foret. Quamvis nempe *Electores* haud diffiteantur, se Regem & Imperatorem suo suorumque *con-Statuum* nomine eligere, eique communi hoc nomine, *capitulationem* præscribere; b) ex altera tamen parte, sine insigni illorum injuria dici haud posset, quod *vice* & *ex commissione* reliquorum eligant c) con-Statuum. Gaudent potius jure eligendi *proprio*, *perpetuo*, *irrevocabili*, prin-

principatibus suis sæcularibus æque ac ecclesiasticis *adnexo*, eodemque a reliquis Imperii Statibus, quorum nomine pariter eligunt, *independenti.* Neque implicat, aliquid *suo proprio*que jure & *alterius* tamen *nomine* exercere. d) Cum præsertim Electores non tantum *alieno*, sed &, ceu præcipua Regni membra, *suo* simul eligant nomine. Quodsi porro controversiæ statum ita quis formet, ut quæstio sit, utrum e) *Electores* electionis causa in *uno eodemque loco* convenire, ibi *comitia* collegialia, deliberationesque *comitiales* celebrare, atque conjunctim suffragiis, quæ *collegialia* vocamus, necessario eligere debeant? an vero sufficiat, si *singuli seorsim*, citra conventum, *Legatis* vel *Literis*, verbo, suffragiis, *singularibus* f) adpellari solitis, quem Imperatorem velint, declarent? Quod posterius totius *Aureæ Bullæ* contextui manifesto repugnaret. Vnde satis patet, propositam quæstionem, præsertim nostro scopo adplicatam, ita intelligendam esse, ac si interrogetur, utrum omnes & *singuli*, an vero *plures* saltem in electionem alicujus consentire debeant? Quis vero nunc, post pluribus jam adstructam *suffragiorum* in electione Imperatoris *pluralitatem* de posteriori vel dubitare saltem poterit? Et eatenus etiam lubentes supra relatam *adfirmamus* quæstionem, quatenus scilicet nihil aliud exinde, quam solam suffragiorum *pluralitatem* concludis. Quodsi enim *singulis* saltem Electoribus jus eligendi competeret, istud prono inde flueret alveo, quod Imperator non nisi *unanimitate* suffragiorum electoralium, id quod tamen *a posteriori* falsum, eligi posset. Quod enim *singulos* qua tales tangit, id etiam a *singulis* adprobandum esse dicitur. g) Quod autem econtrario ad aliquos, velut hic *eligendi* prærogativa, non, ut *singulos*, sed ut *universos* potius, sive qua *collegium* constituentes spectat, id etiam *pluralitate* saltem & non nisi *majoris partis* consensu perficiendum. Hoc est, quod inde sequitur, si electionem *Electoribus* qua *collegio*, nobiscum etiam adscribas. Nulla vero ratione inde concludi posse arbitramur, quod illi extorquere conantur, sufficere in electionibus Imperatorum, non nisi *majoris* partis *collegii* consensum, hoc est *pluralitatem* suffragiorum *absolutam.* Quodsi enim hoc verum esset, sine ulla exceptione sequeretur, nullum plane *majoribus* suffragiis *respectivis* locum esse, sed omnia majora *absoluta* esse debere. Omnia enim vel ad *singulos* pertinent, vel ad *collegium* spectant. *Tertium* inter hæc *duo* non datur. Omnis igitur *consultatio* vel *unanimitate* vel *pluralitate* suffragiorum non nisi *absoluta* finiatur necesse est. *Vnanimitate*, illa negotia, quæ ad *singulos* magis quam collegium spectant. *Pluralitate* vero *absoluta*, quæ *collegium* magis quam *singulos* tangunt. *Tertium* igitur hic quoque, quod *pluralitas* suffragiorum *respectiva* est, impossibile foret. Quod tamen nemo dixerit, cum *necessitatem* & *utilitatem* HVIVS omnes illi quoque agnoscant, qui eandem ab *electione Imperatoris* excludunt. Cæterum non sine fundamento communis

 istius,

iſtius, quæ ſuffragiis majoribus *reſpectivis* adverſatur, ſententiæ cauſam & occaſionem, in hac ipſa nimis præcipitata quæſiveris *conſequentia:* Pertinet *electio* ad *collegium*, ergo MAIORIS COLLEGII PARTIS conſenſus ſive *pluralitas* ſuffragiorum *abſoluta* requiritur. Quo ipſo omnes hac *connexione* utentes fateri debent, omnia illa negotia, in quibus alibi *reſpectiva* ſufficit, non ad *collegium*, ſed ad *ſingulos* ſpectare, quod tamen dici nequit, quia alias non *pluralitate*, ſed *unanimitate* ſuffragiorum terminanda forent. Quod quam *proficuum* h) rebus publicis foret, alii diſpiciant.

---

a) Conf. HOSTIENSIS atque PANORMITANVS ad *cap. venerabilem 34. X. de electione*, quorum ILLE jus eligendi *ſingulis*, HIC vero *collegio* adſcribit. Vnde ſimul ILLE *pluralitatem* ſuffragiorum electivorum negavit, HIC vero ex eodem fundamento adſtruxit. Addas velim, qui PANORMITANVM omnes fere ſequuntur, LVPOLDVM *de Babenberg, de jure Regni Franciæ cap. 6* apud SCHARDIVM *de Jurisdict. Imp. pag. 317.* Petrum de ANDLO *de Jure Regni Libro II. cap. 2.* LIMNAEVM in *Jure publ. Libro II. cap. 3. num 67. ſq* atque BVXTORFFIVM *ad Aur. Bull. concl. 35.*

b) Teſte proœmio *Cap. cæſar* velut *noviſſimæ.*

c) Cave putes, *controverſiam* hanc dudum *antiquatam* eſſe. *Recruduit* illa potius novioribus temporibus aliquoties, tum occaſione *Capitulationis perpetuæ* apud PFEFFINGERVM in VITR. *illuſtrato Tomo I. pag. 855. num. 5.* tum occaſione *noni electoratus.* Quorſum *acta* illa faciunt, quæ in *electis juris publici curioſis*, exhibuit *Caſſander* THVCELIVS, *anno 1694. 4. editis Tomo I. cap. 1. pag. 67. 93. 299.* ubi quæ tum in *utramque* partem diſputata fuere, una cum *teſtimoniis* reperies.

d) Conf. *Diſſ.* noſtram *de independentia juris circa ſacra*, *Illuſtri* HELFFERICHIO *Præſide* hic loci habitam §. 8. in fine. *pag. 21.*

e) Quem ad modum hanc quæſtionem *plures* explicare ſolent. Audias vel *unicum* SCHÜTZIVM, qui *de Statu rei Romanæ Vol. 1. Diſſ. 2 theſ 1. lit e*) *Collegialiter*, inquit, *non in locis diverſis fieri debet electio. Eſt enim actus collegialis individuus.* Adde STRYCKII *Diſſ. de jure præſentiæ circa negotia Imp. cap. 3. §. 4.*

f) Velut *Ill.* LVDEWIGIVS in *Conſil. Hal. Tomo II. Libro II. conſil. 36. num. 2. ſq.* atque *Ill.* ICKSTATT in *Diſſ.* ſæpius adducta, *cap. 1. §. 70.*

g) Confer omnino eruditam L. B. de OSTERHAVSEN *Diſſ. de Jure ſingulorum a majori ſuffragiorum comitialium numero excepto.* Vitemb. hab.

h) Argumento in genere adſtructorum ab *Ill.* ICKSTATT *ibid. cap. 1. §. 38. 39. 67. 68.* atque *Cel.* CANZIO, in *Diſcipl. Moral. §. 1139. ſq. pag. 381 ſq.*

---

§. XVI.

SVFFRAGIA ABSENTIVM.

Iam vero vel tandem, ab ipſa illa, quam adhucdum inveſtigavimus, *reſpectiva* in electione Imperatoris ſuffragiorum *pluralitate*, diſcedere, atque ad

ad reliqua *pluralitatis* illius, generatim consideratæ, capita progredi licebit. Nondum enim diximus, qua ratione ABSENTIVM *Electorum* SVFFRAGIA sese ad horum *pluralitatem* habeant? ABSENTES autem heic, ut distincte procedamus, non vocantur illi, qui, licet ipsi venire vel *noluerint* vel non *potuerint*, suos tamen *Legatos* sive, ut cum ipso CAROLO IV. loquamur, *legales* suos *Nuncios* a) *ad locum electioni destinatum direxerunt:* Sed isti demum tales sunt, qui, rite licet atque solemniter *vocati*, b) nihilominus neque ipsi *venerunt*, neque Legatos *miserunt*, neque vero etiam suam alii cuidam Coëlectori *demandarunt* vicem atque vocem, non adtento deinceps illo discrimine, sive venire *voluerint*, & non *potuerint*, sive e contrario venire quidem vel legatos mittere *potuerint*, nec tamen *voluerint*. Hi enim utrique in *electione* illa, cui non intersunt, *suffragio* CARENT c) *Electorali*, eodemque pro circumstantiarum diversitate, qua unicum istum actum, vel *privati*, vel istud sponte *deseruisse* sive dereliquisse censentur. Quibuscum *paria* illi quoque experiuntur fata, qui, vel ab initio *adfuerunt* quidem, sed ante electionis finem rursus *discesserunt*, vel initio quidem non *adfuerunt*, sed post electionem demum *advenerunt*. d) Adeo ut in omnibus hisce *casibus* nulla prorsus *absentium* eorundemque suffragiorum, quoad horum *computum* atque *pluralitatem* habeatur ratio, ut, si exemplo res dilucidanda, *absentibus* duobus Electoribus, collegium electorale non nisi *septemvirale*, atque hinc *quatuor* præsentium suffragia jamjam *majorem* & *absolutam* quidem constituere intelligantur *partem*. Immo in Electionibus Imperatorum jam ab antiquissimis temporibus adeo sola *præsentium* ratio habita fuit, ut ipsa sua *absentia* jus coeligendi amiserint reliqui *Principes*, & præsentes indistincte, sive *majorem*, sive *minorem*, constituerint numerum, si reliqui in veniendo sint contumaces, nec aliud quid obstet, *electionem* peragere potuerint, peractaque hæc electio *valida* non modo, sed &, si præsentes omnes, veluti *quatuor*, consenserint, *unanimis* quoque habita fuerit, non adtento quippe *absentium* dissensu. e) Vnde illi egregie fallunt, falluntur-que, qui sibi aliisque persuadere conantur, *majorem* suffragiorum *partem*, hoc est illorum *pluralitatem*, intuitu omnium prorsus *Electorum*, sive *præsentium* sive *absentium*, minime vero habita tantummodo in ipsa electione *præsentium* ratione intelligendam, atque computandam esse. Principem ita sentientium rationem, potissimaque illorum, quibus niti solent, argumenta f) jam tum perlustravimus, cum, utrum *majora* in electione Imperatoris *absoluta*, & intuitu totius *Collegii* Electorum talia esse debeant, investigavimus. Est quippe sententia illorum, *corollarium* velut atque conclusio, vel si mavis *adpendix* inveteratæ illius, quam modo diximus sententiæ, nunc demum in dubium vocatæ. Quo vero etiam per modum *fictionis* posito, illius de *absentium* suffragiis quoad *pluralitatem* horum connumerandis, the-

ſeos falſitas nihilominus cognoſci poteſt. *Electio*, prout id minime negamus, ſed ſupra g) diſerte adſtruximus, eſt omnino *actus collegialis*, non niſi prævia *communi* atque *comitiali* deliberatione ſuſcipiendus. Eſt Electoris non *eligere* ſolum, ſed & *conſultare*. In quo potiſſima illius ratio conſiſtit, quod ſuffragia *electoralia* non niſi, vel in *perſona*, vel per *Coelectorem*, vel mediante *nuncio*, minime vero in *ſcriptis*, data *epiſtola* peculiari, in electione Imperatoris, ferri queant. Iam vero, qua ratione, quo jure, iſtos *connumerabis*, iſtos *membra* collegii electoralis hac vice cenſebis, qui talia vel eſſe *nolunt*, vel eſſe non *poſſunt*, verbo, qui *ſuffragio* & *voce*, hac vice carent. Cur non hic quoque, quemadmodum ſupra, ad *Pontificis Romani*, ad *Epiſcoporum*, atque in genere *Prælatorum* electiones provocant diſſentientes? Quia nempe haud ignorant, in hiſce itidem ſufficere *majorem*, PRAESENTIVM tantummodo Electorum, CARDINALIVM h) atque CANONICORVM i) *partem*, nullamque prorſus hic quoque *abſentium* haberi rationem, immo etiam, ſi *minor* tantummodo comparuerit pars, has quoque electiones jure peragi poſſe, k) non obſtante *majori* ABSENTIVM & diſſentientium forte *numero*, ſi nempe, quod omnino monendum, reliqua omnia ſint *paria*, neque aliud quid, præſertim nota *factionis* l) *minorem* hancce *partem* jure ſuo privet. Solummodo igitur *præſentium*, & actu quidem vel per ſe *ipſos*, vel alios *Coelectores* vel *Legatos* denique, eligentium vota, ſuffragiorum in electione Imperatoris *computum* variare, eorundemque augere poſſunt *pluralitatem*. Quod ipſum, de *abſentibus* dictum, de illis quoque dicendum, qui loco denominandæ alicujus perſonæ, ſe *indifferentes* eſſe, teſtantur. Horum enim vel itidem *nulla* plane habetur conſideratio, vel ad *majorem* referuntur m) partem, atque hac ratione, *fictione* juris, ſuffragiorum augebunt *pluralitatem*.

---

a) Quibus *terminis* ipſa utitur *Bulla*, quam eminenter vocare ſolemus *Auream*, *Tit. I. §. 19. & 23.* ubi LEGALES non ſolum ab Imperatore diſertè requiruntur NVNCII, verum etiam præter illos adhucdum deſiderantur *Literæ patentes*, hodie CREDENTIALES ſtylo publico dictæ, *eædemque ſigillo mittentis majori ſigillatæ*, *plenam* denique, *liberam ac omnimodam poteſtatem continentes*. Quamobrem in eo omnes conveniunt, quod *Legato*, ad Electionem ab Electore quodam mittendo, opus ſit *mandato* non ſolum, ſed & *mandato*, quod vocamus, *pleno*. Sunt enim hi quoque legales nuncii, ſive *Legati* electorales, nihil aliud, quam *mandatarii* & *procuratores* ad inſtar omnium reliquorum *Legatorum* publicorum, *mittentes* illi *mandantes*, & *litteræ* iſtæ patentes, *mandata*. Id quod poſt Cel. iſtum heroem litterarium *Corn. van* BYNCKERSHOECK in *Quæſt. juris publ. Libr. II. cap. 7. p. 228.* aliosque denuo probavit *Illuſtris* noſterque etiam Patronus venerandus, J. C. ESTOR in *Schedio ſuo de jure poſcendi literas credentiales à Legatis Jen. 1740. edito §. 3. pag. 5. ſq.* In eo autem

tem non omnes rerum imperialium *consultos* convenire, sed potius valde discrepare observabis, an nimirum *Legato* ejusmodi præcise necessarium sit *mandatum generale*, nec vero etiam *speciale* aliquod sufficiat, hoc est, (diverso enim significatu subinde hæc ipsa, (*generale* æque ac *speciale*,) mandata accipiuntur) utrum Elector aliquis suo *Legato*, ut hanc vel illam determinatam *personam*, præcisè, nec vero aliam eligat, in *mandatis* dare queat, an vero ipsius personæ determinationem *Legati arbitrio* relinquere teneatur? Quam quidem quæstionem difficilem satis, atque spinosam, arbitramur. Sunt, qui non nisi *generale*, ob illa ipsa *Aureæ Bullæ* verba, *plenæ*, *liberæ* ac *omnimodæ potestatis*, admittunt. Sunt porro, qui, cum verba ista *insufficiens* & *minus plenum* saltem, non vero ideo etiam *speciale*, quod itidem *plenum* & *liberum* esse possit, excludere persuasum habeant, etiam *speciale*, modo *plenum*, sufficere contendunt. Vid. PFEFFINGER ad VITR. *Tom. I. pag. 807. sq.* Sunt denique, qui *mediam* electuri viam, distinguunt inter literas illas, *patentes*, solemnes *publicas*, quas mandatum, credentiales, diximus, quæque *Moguntino* statim exhibendæ sunt, & inter *literas* Legato ad *privatam instructionem*, hoc ipso nomine der *Instruction* insigniri solitas, *istisque* quidem, secus ac *bisce* certam *personam* exprimi non posse, dicunt. Exemplo MAURITII de *Orig. Elect. & Comitiis Electoralibus cap. 2. §. 9.* atque KULPISII in Tr. suo bonæ frugis plenissimo *de Legat. Stat. Imp. cap. 10. §. 4. pag. Oper. Argent. 667.* Et sane, si, quibus calculum adjiciamus nostrum, exprimendum, cum *bisce* omnino sentiendum erit, partim, quod *suffragium*, cum debeat esse *collegiale*, ante ipsam deliberationem *collegialem* ferri, atque scriptis vel literis, *Aur. Bull. tit. I. §. 19. & cap. 46. de Elect. in 6.* consignari nequeat, partim vero etiam, quod Imperatori nostro de *patentibus* sive *publicis* ibi tantummodo sermo sit *litteris*, ubi *liberam* & *omnimodam* Legato concedendam esse sanxit potestatem, quodque *privatæ* illæ litteræ instructionum legibus commode haud subjaceant, sed cujusvis potius *Electoris* arbitrio relinquendæ sint, atque etiam *conditionatæ* esse queant. Non amplius proin obstantibus *exemplis* illis, quæ pro *generali* æque ac *speciali* allegari solent mandato. Conf. omnino *Perill.* LUDEWIGIUM ad cit. *Aureæ Bullæ* locum.

b) Immo etiam, quoad *Electionem Imperatoris*, secus enim res se habet, in *electione Regis Romanorum*, a *Moguntino* non *vocati* atque in vocatione *præteriti*. Interpellat quippe hic quoque in *publico* jure *hominis* loco, ipsa *lex*, *Aurea* nempe *Bulla tit. 1. §. 19.* Quicquid deinceps illi obvertant, qui cum eodem modo laud. LUDEWIGIO *Tom. I. pag. 218. not. l.* electionem ipsam omissa alicujus *vocatione* vitiari contendunt. Aliud dicendum erit in ipso *conflictu*, si quis Electorum fuerit *exclusus*.

c) *Aur. Bull. Tit I. §. 23.* ubi: *electionis voce, seu jure, quod in eadem electione habuit, & tali modo deseruit,* CAREAT *ea vice.*

d) *Chrysobulla cap. 1. §. 23* & inprimis *cap. 2. §. 4. cap. 2. §. 7.*

e) Demonstrabimus id data hunc in finem peculiari opera, cum *partem* hujus præsentis laboris *historicam*, SCHEDIUM nempe, cui ultima saltem deficit lima, *de origine pluralitatis suffragiorum in Electione Imperatoris*, jam supra promissum,

exara-

exarabimus. Tunc enim ex ipsis *medii ævi* scriptorum testimoniis palam fiet; *discordes* quoque Electiones ab aliis, intuitu *præsentium* saltem, *unanimes* dictas fuisse.

f) Adducta atque diducta pluribus a LUDEWIGIO *ad Aur. Bull. Tit. 2. §. 6. not. p) Tom. I. pag. 373.*

g) Vide §§. nostros *II pag. 8.* & *§. XV. pag. 42.*

h) Diserte satis id probantibus *Bullis* illis de *Electione Pontificis* præcipientibus, collectis a MEUSCHENIO. Sic GREGORIUS XV. & URBANUS VIII. in *Bullis* suis *Æterni Patris*, & *Ad Romani, de annis 1621. & 1625. pag. ibid. 43.* & *99* nonnisi *Cardinalium* in conclavi *præsentium* mentionem faciunt. Inde est, quod *præsentes* Romæ *Cardinales* olim *absentes* jam ex constitutione *Concilii Lugdunensis* atque postea *Bulla* PII IV. *In eligendis, de anno 1562. ibid. pag. 38. sq. §. 3. Nos quantum & §. 6. Declarantes nihilominus. pag. 40. & 41.* non nisi DECEM dies expectare debuerint. Quemadmodum id etiam probari posset argumento CLEMENTINAE *II. edita anno 1310. Ne Romani, de Elect. §. 4. Porro si Romano*, qua sancitum fuit, illos quoque *Cardinales*, qui in conclavi permanserint, vel istud reintraverint, non expectatis vel adtentis reliquis *absentibus* istudque egressis, ad ipsam *electionem* procedere posse. Paucis, adeo nulla hodie ratio habetur *absentium Cardinalium*, ut neque *convocatio* ipsorum absolute necessaria sit, neque, qui venire ipsi nequeunt, sua suffragia, alteri cuidam *Cardinali* curanda committere queant, observante *Eman.* GONZALEZ TELLEZ ad Decret. *Libr. I. tit. 6. fol. 246.*

i) De quorum *absentia*, vocatione, contemtu, exclusione, *præsentia*, pluribus & solide satis egit PASSERINUS in *Tr.* suo *de Electione cap. XI.*

k) Conferri huc omnino debet, qui *analogiam* tam juris *civilis*, quam *canonici*, egregie huc facientem, una cum contrariis adduxit, ARUMÆS in *Disc. I. ad Aur. Bull. Thes. 34. pag. 70. 71 & in Disc. II. Th. 18. p. 104.*

l) Intricatam hanc de *factionibus* atque *factionariis* materiam, occasione ipsius *juris*, quod *majori* numero competit, in genere eleganter satis extricavit *Ill* ICKSTATT in *Diss. Juris Publ. III. de causis, in quibus Status Imp. in partes eunt, cap. 1. §. 6. in sq.*

m) Qua de observantia *generali* atque *comitiali* testatur ANONYMUS ille AUTOR des ausführlichen Berichts, wie es auf Reichstägen pflegt gehalten zu werden, apud GOLDASTUM in *Part. 22.* derer Reichs-Händel *cap. 6. pag. 131. sq.* Ubi: Ob auch einer darunter (*intellige* unter denen Reichs-Ständen) angezeigt, er wäre *indifferens*, wird derselbige als denen mehrern beyfällig verstanden, er erkläre sich denn *apert* des Widersinnes 2c.

---

§. XVII.
SUFFRAGIA PROPRIA.

Superest adhuc, ut id, quod jam *supra* quidem, sed *incidenter* saltem & aliud quasi agendo tetigimus, quodque suo etiam jure ad nostram de *pluralitate*

valitate ſuffragiorum in *electione Imperatoris*, hac ratione, ad finem usque, quod ſperamus, *pertractatam* pertinet materiam, quid nempe de eo ſit ſentiendum *ſuffragio*, quo quis Electorum *ſemet ipſum* elegit, laudavit, ſive *de ſe ipſo* judicavit, a) verbo, quid de SVFFRAGIIS *Electorum* PROPRIIS pronuntiandum ſit? paucis &, cum alii jam ante nos hanc ipſam ſuſceperint *ſpartam*, b) pro noſtri ſaltem *inſtituti* formula, oſtendamus. Vbi quidem *primo* ſtatim omni plane *dubio* caret, quod Electores *ſaeculares* c) ipſa lege *publica*, tam *ſcripta* d) quam non *ſcripta* e) *ſibimet ipſi* ſuffragium ſuum *electivum* dare, hoc eſt, *propriae* ſuae, Regalis atque Imperialis, dignitatis *ſuffragatores*, a *Graecis* eleganter ſatis αὐτοχειροτόνητοι dicti, exiſtere queant. *Secundo*, certo certius eſt, quod ejuſmodi aliquod ſuffragium electorale *proprium*, tam in caſu *unanimitatis*, quam etiam *pluralitatis*, & hujus quidem *utriusque*, tam *abſolutae*, quam *reſpectivae*, adtendi, *computari*, immo etiam in caſu *paritatis*, ſive *aequalitatis* utriusque ſuffragiorum partis, *decidere*, *majorem* partem conſtituere, hoc eſt, *pluralitatem* ſuffragiorum augere queat. Quod ipſum *tertio*, ſi non *expreſſa lege*, *uſuali* tamen *interpretatione*, praeſertim BOHEMIAE REGVM exemplo, quibus jam *tertium* f) in electione Imperatoris competit ſuffragium, adeo indiſtincte obtinet, ut perinde ſit hodie, ſive jam *duo, tria*, vel *nulla* ſuffragia, ſibi faventia, ejuſmodi Electorem, *ſe ipſum eligentem*, praeceſſerint, ſive *reliqua* iſtum demum inſequantur. Vt adeo *quarto* nihil plane, quoad computationem atque *pluralitatem* ſuffragiorum interſit, ſive quis *alium*, ſive *ſe ipſum* eligat. In quo tamen *quinto*, inſignis omnino SERENISSIMORVM Germaniae ELECTORVM *praerogativa* conſiſtit atque *praeeminentia*, eiſdem propria fere, neque vero cum *Pontificis Romani* g) vel *Poloniarum Regis* h) vel ullis aliis i) ELECTORIBVS *communis*. Denique *ſexto*, an haec ipſa, paucis modo adducta, POTENTISSIMORVM Germaniae ELECTORVM haud contemnenda *ſemet ipſos* eligendi facultas, ad illum quoque porrigenda ſit caſum, quo Electorum aliquis ſuffragium ſuum *alii* cuidam, non ſolum jam antea *promiſit*, ſed & poſtea in ipſa electione actu jamjam *dedit*, deinceps vero illud, ideo, quod forte quaedam adhuc alia, praeter ſpem & opinionem, quod tamen, cum plerumque jam antea ſoleant eſſe *certa*, raro continget, nactus fuerit ſuffragia, *variare*, k) revocare atque in *ſemet ipſum* transferre velit? *quaeſtio* eſt, legibus nondum deciſa, & hinc in *utramque partem* facile diſputanda. Quanquam rationes, pro *adfirmativa* l) militantes, veluti, quod in caſu promiſſionis, *conventio* ejusmodi, pactio atque promiſſio contra expreſſam *legem*, contra *juramentum* m) ab ipſis praeſtitum, atque adeo nullius prorſus, ſi promiſſis ſponte ſtare nolit Elector, n) momenti atque valoris ſit, & quod in caſu dati jam *tertio* cuidam ſuffragii, nemo ex *editione* ſuffragiorum ſibi jus aliquod, *prius*, quam poſt *ſolemnem illorum publicationem* o) quaeſitum adrogare queat, cum

 alii

alii etiam dentur *casus*, v. gr. *paritatis* suffragiorum, in quibus ejusmodi *variatio* suffragii, totiusque electionis *repetitio* fieri debet, longe *majoris* videantur esse *ponderis*, quam illæ, quæ pro *negante* adduci possunt sententia. Nobis vero jam sufficiat, hoc quoque *coronidis* loco addidisse, & nunc eo securius *portum* petere, *vela*que contrahere, id est post submissam, *Supremo Numini*, pro clementissime concessis viribus, præstitam gratiarum actionem, hic subsistere posse.

---

a) Quid olim Germani nostri de *sui ipsius* electione senserint, facile cognosces ex ORATIONE *minoris* illius CHUNONIS, qua *majorem* sive *seniorem* CONRADUM, *patruelem* suum, Imperatorem postea hujus *nominis II* atque *Salicum* (cujus & *ortum* & *electionem* plenius excussit *Sim. Frid.* HAHNIUS) cognominatum ad *pacem* atque *concordiam* inter ipsos, ceu Regni *candidatos*, servandam invitavit, apud WIPPONEM, *testem uti æqualem*, istius temporis *Presbyterum* & Imperatoris *Cancellarium*, ita omni exceptione longe majorem, in *descriptione* sua, *pragmatica* quidem, sed *imperfecta*, *vitæ* CONRADI illius II. *Salici* Imperatoris, apud PISTORIUM in *Tomo III. pag. edit. Struv. 464.* ubi: *In omni electione*, inquit ille *minor* CHUNO, *nemini licet de se ipso judicare: licet autem de alio. Quodsi alicui de se liceret, quot regulos, ne dicam reges, videremus. Non erat nostræ potestatis, hanc dignitatem* (Regni Candidatorum) *ex multis inter binos coarctare.* Digna sane *Principe* hoc *Salico* verba, a nemine adhuc, quod sciamus, adtenta satis. Magis quippe *gloriosum* fore is etiam putabat, *eligi*, quam *eligere*, *electum* esse, quam *electorem*.

b) Nominabimus non *omnes*, sed *illos* saltem, qui data ideo opera, hancce *spartam* exornarunt, atque a PFEFFINGERO ad VITR. *Tom. I. pag 829. sq. not. c. & d)* plures alios laudante, prætermissi fuerunt. Sunt vero illi absque dubio, tum KAESTNERUS in Diss. de *suffragio proprio*, tum SCHRAGIUS in *Diss. Arg. anno 1721.* habita *de electione sui ipsius*, tum inprimis quoque *Car. Mich.* FISCHUECK de *suffragio se ipsos eligentium Goth. 1728.*

c) *Ecclesiasticos* namque sive *Clericos* Germaniæ nostræ *Electores*, non quidem *lex* ipsa, sed *observantia* tamen, propriaque ipsorummet *conditio*, quemadmodum ab omni plane spe obtinendi Imperii, ita etiam *proprio sui ipsius* suffragio removet. Non *Aurea Bulla*; licet hæc subinde TEMPORALIS populo christiano eligendi *capitis*, nunquam vero *Ecclesiastici*, mentionem faciat, vid. *tit. 2. §. 3 4. 5.* atque *temporale* idem denotet, quod *sæculare*, ipsius quoque *legis 7. Cod. Theodos. de Episcopis* argumento, hincque præferenda omnino sit *versio* illa *germanica*, weltlich, præ ista, quæ legit zeitlich Oberhaupt, quod nempe etiam *clericus*, si eligeretur, non *ecclesiasticum*, sed nihilominus *temporale* sive *sæculare* populi Christiani *caput* foret. Eadem penitus ratione, eodem jure & modo, quo in *Germania* nostra clerici dantur haud pauci, *principali*, eodemque *sæculari*, fastigio con-

conspicui. Verum illos tamen repellit OBSERVANTIA, qua omnes adhucdum *Imperatores*, quotquot illorum fuere, *laici* atque *seculares*, quo utroque vocabulo *Bulla* utitur *Aurea*, vide sis *tit. 7. §. 2. & tit. 11. §. 5.* & LUDEWIGIUM *Tomo II. pag. 47. not. t)* fuerunt. Conf. B. D. D. SCHWEDERUM in *Diss. de Electione Imp. habilitatem personæ eligendæ* continente, *thes. 7. Tomo Diss.* Ejus *II. pag. 80. sq.* ubi etiam argumenta ab ipsorum CONDITIONE, qua sese *negotiis* immiscere non possunt *secularibus*, vid. *c. 6. cum ad verum, Distinct. 96.* hincque etiam *alibi*, præsertim in *feudis* succedere nequeunt. Pluribus hoc *posterius* dilucidante & probante *Ill.* LUDEWIGIO non ad *Aur.* modo *Bull. Tom. II. pag. 487.* sed & in pec. *Diss. de Clerico exsule successionis in feuda & principatus S. R. J. Halæ 1721.* habita, *cap. 1. §. 13. & 14.* Contra quam *dubia*, quæ movit Ill. nosterque *Patronus*, omni venerationis cultu prosequendus, *G. Chr.* GEBAVER, vide in *Ejusdem Promulside de CCCC. annorum usu, Gottingæ anno 1735.* edita.

d) *Auream* sine dubio intelliges *Bullam*, & recte quidem. Vid. *tit. ejus cit. 2. §. ult. sive 10.* ibidemque præcipuos illius *commentarios* ARUMÆI, LIMNÆI, & LUDEWIGII, nec non quæ hanc in rem supra *§. X pag. 28.* disseruimus.

e) OBSERVANTIA nempe, legem istam, ipsa quoque generali *præsumtione* stipatam, insecuta. Quo nomine omnium primo notabis *electionem* RUPERTI *Bavaro-Palatini*, quem anno *1410.* deposito prius WENCESLAO, trium illorum *ecclesiasticorum*, SUOQUE inprimis SUFFRAGIO PROPRIO electum fuisse, jam supra diximus, & ipsa *acta* ab OBRECHTO, in *Adparatu Jur. publ.* maximam partem edita, magis adhuc comprobant. Quamvis, quod omnino monendum, ex *illis ipsis*, veluti dem Rechtlichen Bedencken, der Stedt Abgesandten gegeben auf den Tag zu Mayntz *de anno 1400. ibid. pag. 82.* imo ex ipso *Diplomate electionis ibid. pag. 75.* adparere videatur, RUPERTUM *sibi ipsi* suffragium non nisi per *Procuratorem*, MOGUNTINUM dedisse, eique ob hanc ipsam causam, ne *se ipsum dignissimum* putare videretur, suum antea jam tradidisse *suffragium*. *Secundo*, utriusque, defuncto hoc RUPERTO, in discordia Principum Electorum, electi, JODOCI, *Moraviæ Marchionis*, & SIGISMUNDI *Regis Ungariæ*. *Uterque* enim exercitium suffragii *electoralis* Marchionatui *Brandenburgico* adnexi, & ille quidem, ob actualem hujus *possessionem*, hic vero ob *expressam* in illius concessione factam, ab illo autem negatam, vocis Electoralis *reservationem*, prætendebat; sed vide *Aur. Bull. tit. 20. §. 2. & 3.* atque laud. jam supra Cel KOEHLERI *vindicias dubiæ electionis* JODOCI, *§. 3. & 4. sq. pag. 12. sq.* *Tertio* rursus hujus ipsius SIGISMUNDI, in repetita sua, eademque, post JODOCI mortem, non *discordi* amplius, sed *unanimi* potius, *electione* anno *1411.* facta, cujus *acta* vide apud LERSNERUM in *Chron. Francof. Libro 1. cap. 7. pag. 92.* & WENCKERUM in *Adparatu Archivorum num. 56 pag. 308.* Teste inprimis quoque *Epistola* illa, hujus *electionis* causa ad *Spirenses* data, ideo notatu dignissima, quod diserte perhibeat SIGISMUNDUM, in *Hungaria* tunc commorantem, sibi ipsi per *Procuratorem* suum, FRIDERICUM *Burggravium*, suffragium dixisse, eoque ipso fabulam

DUBRAVII in *Hist. Boh. Libr. 23. pag. 621.* cujus fide permulti nitebantur, satis superque refellat, apud LEHMANNUM in *Chronico Spirensi Libr. VII. cap. 81. pag. 866.* *Quarto* denique omnium ferme inde a FERDINANDO I. *Bohemiæ Regum* atque *Electorum*, necnon deinceps *Imperatorum* exemplo, speciatim MAXIMILIANI II. RUDOLPHI II. MATHIÆ, LEOPOLDI, CAROLI tandem VI. gl. m.

f) *Aur. Bull. tit. 4. §. 4.* ubi: *Tertio, a Rege Bohemiæ, qui inter Electores laicos, ex Regiæ dignitatis fastigio jure & merito obtinet primitivam.*

g) Quam sui ipsius electionem *Cardinalibus*, conclavi, Pontificem Romanum eligendi causa, inclusis expresse *primus*, quod constet, prohibuit GREGORIUS XV. in *Bulla* sua *de electione* R. P. quæ incipit: *Æterni Patris, filius, edita anno 1621. §. 3. Numerum autem*, apud *Laertium* CHERUBINUM in *Magno Bullario Romano Tomo III. pag. 444.* atque MEUSCHENIUM *pag. 55. suffragiorum duarum ex tribus partibus cardinalium, in conclavi præsentium, ut electio per viam scrutinii, sive scrutinii & accessus valida sit, decernimus & declaramus ita esse censendum, ut in duabus tertiis partibus, suffragium electi non numeretur, nec quisquam sive scrutinio, sive scrutinii & accessus, sive compromissi via procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: Electi tamen persona,* pergit GREGORIUS, si in *Conclavi* sit, *debet in numerum Cardinalium computari.* Unde in ejusdem GREGORII *Ceremoniali Electionis Pontificiæ ejusdem anni §. de numeratione suffragiorum, pag. ibid. 93.* legimus, *& siquidem ex ea adparuerit, electum alii suffragatum fuisse, electio ejus erit canonica, si vero constiterit, sibi suffragium dedisse, ejus electio ex dispositione Gregorianæ constitutionis nulla erit, ob defectum unius suffragii.* Quemadmodum illius ipsius *Gregorianæ* Constitutionis verba repetit in sua *Bulla Ad Romani, de anno 1625.* URBANUS VIII. *pag. ibid. 99.* & apud CHERUBINUM *cit. loc. Tom. V. pag. 93.* Quibus constitutionibus *occasionem* forsan dederunt facta illa JOHANNIS XXII. & XXIV. *seipsos* eligentium, si fides illis haberi poterit, quæ tradiderunt NAUCLERUS in *Tomo II. Chronogr. Gener. 44.* & Steph. ZEGEDINUS in *Spec. Pontif.* sub voce *ambitiosi*, ubi hujus quoque, *fabulæ* non adeo dissimilia recensuit verba: *Date mihi chlamydem Petri, dabo ego Pontifici futuro*, quo facto, *pallium* ipse induens, dixisse fertur, *Ego sum Papa.*

h) Cujus *Regni leges*, circa *electionem* Regis, *fundamentales*, ipsum candidatum ne quidem, in campo electionis, *præsentem* esse, multo minus eidem, *sibi ipsi* suffragari, permittunt. Vide ZALASZOWSKY *Jus Publ. Regni Polon. pag. 202.*

i) Vide præsertim cap. 26. X. *de Jure Patronatus*, LYNCKERI *Diss. de præsentatione sui ipsius, & notam nostram h) supra ad §. X. pag. 32.*

k) Quæ suffragiorum electoralium *variatio* atque *mutatio* illius quoque *turbulenti* Germaniæ status, post FRIDERICUM II. usque ad RUDOLPHUM I. quem *interregnum* magnum vocare amant, causa haud postrema fuit, satis ideo superque, nec sine causa, *Principibus Germaniæ a Pontificibus Romanis* exprobrata. Inde URBANUS IV. in *literis* ad RICHARDUM, apud DU MONT, *dans son Corps Diplomatique Tom. I.*

pag.

pag. 216. sq. præsertim, scribit, *cum non tantum major pars Principum prædictorum, imo omnes, excepto nobili viro Marchione Brandenburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire* (i. e. suum *suffragium* in tuum favorem mutare) *electioni de te factæ consentiant.* Hinc porro CLEMENS IV. in *literis* suis ad *Bohemiæ Regem*, apud RAYNALDVM in *Annal. Eccles. ad annum 1269. pag. 168. Hoc si memorati Principes*, inquit, *qui de tertia electione, ut supra exprimitur, satis inconsulte cogitare dicuntur, consultius adtendissent, puderet eos super jure Imp. ejusdem inter electos ipsos, quos constat eosdem Principes elegisse, pendente judicio, non sine nimio* VARIATIONIS *opprobrio, & inconstantiæ nota, in vanum talia cogitare.* Cum enim Pontifex controversiam istam notissimam de *Jure Imp.* inter RICHARDVM & ALPHONSVM sua *sententia* dirimendam suscepisset, aliqui vero *Principum Electorum*, qui jam *oriebantur*, ad ipsam illam Pontificis decisionem, imperiali majestati parum congruam, evitandam, utroque repudiato, *tertium*, ipsum *Bohemiæ Regem* OTTOCARVM, eligere constituissent, *Pontifex* hoc ipsorum consilio comperto, non solum *lite*, ut ajebat, *pendente*, omnem suffragii usum prohibuit, verum etiam omne istud, quod actum forsan gestumve hac in causa fuerit, laudata *epistola* antecedenter irritum nullumque declaravit.

l) Quam tueri videtur *Ill.* LVDEWIG *ad Aur. Bull. tit. 2. §. 10. not. m) Tomo I. pag. 409.* idque præsertim argumento tam ipsius *Aur. Bull. all. §. 10.* quam vero etiam *cap. 33. X. de elect.* Quod istud attinet, nobis videtur, non licere sine ullo fundamento, adeo *extensive* leges Imp. publicas interpretari. Quoad hoc præferenda potius erit GONZALEZII *interpretatio*, menti Pontificis vel ideo magis congrua, quia *caput* istud saltem *consensus*, non vero etiam *suffragii* electi mentionem facit. Diversissima autem sunt, electioni de se ab aliis factæ *consentire*, & sibi ipsi *suffragium dare.*

m) *In Aur. Bull. tit. 2. §. 3.* diserte præscriptum.

n) Exemplo LVDOVICI BAVARI, qui suum suffragium FRIDERICO AVSTRIACO *promisisse* quidem, verum deinceps, tria illa *Moguntini*, *Trevirensis* & *Bohemi* nactus suffragia, non *præstitisse* dicitur, ideoque etiam excusatur apud ARVMÆVM *Disc. II. th. 22. pag. 116.*

o) Argumento eorum, quæ tam in *Bullis* de electione Pontificum, quam reliquo Pontificio jure de *publicatione scrutinii & suffragiorum*, hacque demum *perfecta electione* occurrunt. Sic, ut ex utroque hoc fonte unicum saltem decerpamus *testimonium*, GREGORIVS XV. in *Bulla* sua sæpius adducta *Æterni Patris, de anno 1621.* apud MEVSCHENIVM *pag. 55. §. 4. Rursus neminem per viam scrutinii, seu scrutinii & accessus*, *haberi* sanxit *pro electo*, *nisi publicatis omnibus suffragiis & electi, si numerum tantum duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam schedulis apertis.* Quemadmodum e contrario jam antea GREGORIVS IX. in *cap. 58. X. de electione & electi potestate* rescripsit, *publicato scrutinio variare non amplius posse Electores, cum sit facienda collatio, & electio celebranda. Ad quod per superiorem,*

riorem, si oportuerit compellantur. Qua de *variationis*, in hoc electionis negotio vel *permissione*, vel *prohibitione*, suo jure conferri meretur, magni adhuc nominis *Jureconsultus* B.D.D *Joh. Andr.* FROMMANNUS in *Diss. de Jure variandi* hic loci *anno 1671.* habita, *Part. spec. Sect. 1. cap. 3. membr. 3. num. 151. pag. 6..* & *membr. 4. num. 194. pag. 72.*

TANTUM.

PARERGA
IN
VACUI FUGAM ADJECTA.

I.

Habet suam quoque utilitatem pactum illud, de non præstanda evictione.

II.

Datur præscriptio contra leges, etiam diserte prohibitivas.

III.

Datur jure Germanico tacita, eademque sæpius particularis saltem, emancipatio.

IV.

Pacta de alterius superstitis heredio, neque Romano, neque Germanico, jure adprobantur.

V.

Pacta successoria, cum ipsius acceptantis persona, intereunt.

VI.

Competit fratribus germanis, etiam tunc inofficiosi querela, cum eis honestam testator prætulit personam.

VII.

Ordinis beneficium, fidejussoribus omnibus, commune non est.

VIII.

Exulat in pactis nuptialibus quarta illa Trebellianica.

IX.

Non dantur pacta dotalia, quæ vocare solent, mixta.

X.

X.

Valent pacta ista dotalia, quibus communio bonorum, vel restringitur jure particulari introducta, vel plane tollitur.

XI.

Non implicat, Dominum, sui vasalli, vasallum esse.

XII.

Datur etiam feudum inofficiosum, eodem, cum reliquis inofficiosis, jure, censendum.

XIII.

Subsistit hypotheca feudalis etiam absque Agnatorum consensu.

XIV.

Parentes, etiam de feudis, inter liberos disponere possunt.

XV.

Fuere jam ante CAROLUM M. Imperatores quidam Romano-Germanici.

XVI.

Existere in Germania jus istud Principum, certissimum est.

XVII.

Utrum vero illud, genuinum, moderni recursus ad comitia, fundamentum sit, dubium videtur.

XVIII.

Collegium Electorale, CAROLUS IV. Aurea sua Bulla, a reliquorum Principum coetu, actu nondum separavit.

XIX.

Competit Germaniae Vicariis, etiam qua talibus, triplex istud circa monetam, monetae, monetandi, & reapse privilegium concedendi, hoc posterius jus distinctum.

XX.

Sunt isti re vera ad Capitulationem, novissimam semper, adstricti.

XXI.

Solemnitates juris civilis Romani, in testamentis Principum ex necessitate juris, adhibentur.

XXII.

Adhibitae vero, nullum ejusmodi alicujus Principis testamenti morbum, quo illud praesertim circa objectum laborat, sanare possunt.

XXIII.

XXIII.

Teſtamenta Principum, Imperator non alia ratione, quam ſalvis quorumcunque juribus, confirmare poteſt.

XXIV.

Sunt Principes Germaniæ, in ſuis quoque teſtamentis, quoad illa capita, in quibus liberam habent teſtandi facultatem, omnino, ſed non alia, quam qua privati etiam, ratione, Legislatores.

XXV.

Principes Imperii noſtri, pro parte teſtatos, pro parte vero inteſtatos decedere poſſe, naturalis foret pugna.

XXVI.

Corruente teſtamento Principis, etiam tutela iſto conſtituta, corruere ſolet.

XXVII.

Minimum ejusmodi tutor, confirmatione Romana, non tantum Germanica, opus habebit.

XXVIII.

Et ideo non teſtamentarius, ſed potius dativus erit.

XXIX.

Qui proin legitimum excludere haud poterit.

XXX.

Differunt jure Germanico, tutela Principis & adminiſtratio temtoris eo præſertim, quod hæc regulariter ibi eſſe ſoleat, ſit ubi ſucceſſio, ſecus ac illa, quæ ſucceſſioni non adſtricta.

